




13
18 C
62

DE

FALSA ET VERA SAPIENTIA

Auctore

F. PROPERTIO RESTA

A TALLEACOTIO MINORITA,

Sacræ Theologiæ Doctore,


EPISCOPO GERVNTINENSE ET CARRIATENSE

LIBRI QVATVOR.










SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE Apud Gulielmum Facciottum. M. D. XCIX.



Omnia Iudicio, Censuræ, Correctioni, & Auctoritati Sanctæ Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ, pro qua, & in qua militamus, subiecta esse volo.





Prouerb. cap. I.

Audiens ſapiens ſapientior erit: & intelligens gubernacula poſſidebit

Prou. cap. IX.

Sapiētia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas; miſcuit vinum, & poſuit menſam: miſit ancillas ſuas, vt vocarēt ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis, ſi quis eſt paruulus veniat ad me: & inſipientibus loquuta eſt, &c.

Prou. cap. XIX.

Vbi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum: & qui feſtinus eſt pedibus offendet:

ILLV-


ILLVSTRISS.^MO ET REVEREND.^MO D. D.

CAROLO MADRVTIO

EPISCOPO SMIRNENSI,

PERPETVO COADIVTORI
TRIDENTINO

F. PROPERTIVS Resta à Talleacotio Ord. Min. Con. Episcopus Geruntinensis & Carriatensis. felicitatem precatur.





CVM multis magnisq. de causis Te vnum Illustrißime & Reuerendißime Præsul ex omnibus delegissem, cui hanc lucubratiunculam meam potißimum dedicarem, vel obseruantiæ erga Te meæ testimonium, vel argumentum voluntatis; subueritus sum aliquandiu, ne vel Tu ipse, vel alius fortasse quispiam, quod officij persoluendi gratia fecissem, sinistre interpretaretur. Absurde enim, aut certe minus prudenter à me factum videri posset; si tractatum de Vera Sapientia, eò consilio elaboratum, vt qua ratione homines rectà in cælum tendere, & veram animorum salutem consequi posint, cunctis innotesceret, ad illum potisi-

mum mitterem; qui & reliquis ſapientia antecelleret, & in hoc vitæ curſu quaſi dux viæ conſtitutus eſſet, & vniuerſos ad hoc præclarum ſtudium vel ſtudio ipſe Tuo, vel officio dignitatis, vel virtutis exemplis inflammaret. Eam enim perſonam ſuſtines, non quæ alienam diſciplinam requirat, ſed quæ omnium oculis ad imitandum expoſita, omnibus virtute præluceat: neque is es, qui ad ingrediendam vitæ beatæ viam alterius inſtitutis, quaſi in aliena luce ambulares, informari debeas; ſed qui omnibus, qui tuæ ſapientiæ crediti ſunt, excellentis cuiuſdam virtutis quaſi facem præferas, lucemq. præpandas. Sed cum Tuæ erga me voluntatis; tum illius humanitatis, quam tuis ipſe ſtudijs (cum patria eſſet & auita) propriam tibi reddidiſti: cum denique amoris in me tui mihi venit in mentem; ita ratiocinatus ſum, nec eius eſſe, qui cum hominis nomine aliquid humanitatis retineret, tantæ dignationis memoriam non aliqua ſaltem grati animi ſignificatione proſequi; nec eius, qui de natura ſua ex moribus tuis æſtimaret, qui cum ſuum erga te ſtudium quacumque ratione declarare cuperet, reprehenſionem à te importunæ interpellationis timeret. Non dico quid Illuſtriſsimo Cardinali Madrutio, cuius in clariſsima familia tot annos fui; non quid vniuerſæ Madrutiorum genti debeam; præſertim cum tu maiores tuos ita de me meritos, amore iam erga me ac beneuolentia ſuperaris, vt cum illi me ſibi omnes tot nominibus deuinxerint; tamen quantum omnibus ſimul debeo, tantum vni tibi videar eſſe debiturus. Quare mirum nulli eſſe debet, vnde

iſte

iste tantus amor, quo me complexi semper estis, extiterit; cum Principes viri eos, nescio quomodo magis ament, quibus benefecerint; quam à quibus aut officij aliquid aut beneficij acceperint. Sed vestra illa Regia, & digna Principibus indoles non me, cui semper vestra beneficentia patuit, efficere debuit vel acceptorum beneficiorum immemorem, vel ad referendam, quam possum gratiam, tardum. Neque enim beneficentiæ nomen in Principem tantum, aut eum, qui plurimum posit, sed in homines etiam tenuiores cadit, qui benemereri etsi non possunt, tamen & volunt, & præclarum existimant. Ita futurum autem sum arbitratus, si desiderium tibi quoquo modo satisfaciendi ostenderem, id etiam benigne accepturum, quasi satisfecissem; præsertim cum magnorum virorum semper fuerit, rerum, quæ dantur, magnitudinem non ex earum præstantia, sed ex dantis animo ponderare. Neque enim vnquam in inferiores essent benefici, si quam vtilitatem remunerationis, aut etiam gratiam beneficijs fœnerarentur: ita liberalitatis fontes solis potentibus inter ipsos paterent, tenuioribus intercluderentur. Vera ergo & Principe digna magnificentia, quæ ab ijs, quibus benefacit, aut voluntatem solam, aut nihil expectat omnino. virtutis enim conscientia non hominum gratia ad benemerendum nititur. Itaque non dubito quin Tu hanc significationem amoris in te mei, ea sis, qua semper in meamando vsus es, humanitate excepturus. Nec tibi non acceptissimum id futurum certo scio, cui quamuis sit exiguum, promptissimæ

vo-

voluntatis studium comitetur. Hæc enim vna sola est, qua amorem tuum posse me spero, non solum grati animi recordatione prosequi, sed desiderijs etiam exæquare. Quamobrem quod hoc tibi opusculum quasi animi mei argumentum dedicauerim, non ita accipi velim, quasi aut beneficium adferrem, aut pro vestris innumerabilibus gratiam persoluerem: sed vt desiderium persoluendi & voluntatem probarem, & (quod non ingratum tibi futurum spero) hac ratione ostenderem, quam magnifice de tua amplitudine & dignitate iudicem, qui me, si quod offero, libenter acceperis, maximum à te vel hoc nomine beneficium accepturum existimem. Ex quo apparet quidem quantus ipse sis, qui nec quidquam à me accipere sine noua gloria Tuæ beneficentiæ possis, vt tum maximus esse videaris, cum acceperis, liberalis. Itaque eò libentius hoc qualecumque est opusculum, sub tuo nomine emittere volui, vt ei, quod ex se parum lucis haberet, aliquid accederet dignitatis, si cum tui nominis inscriptione prodiret: & quod ab Auctore habere non poterat, à splendore nominis tui assequeretur. Quid enim est aut tam exiguum, aut tam suis tenebris obscurum, cui non Madrutiorum vel dignitas auctoritatem adferat, vel non nominis splendor illustret? Quæ vmquam vsquam domus vel proprijs ornamentis illustrior, vel Sedi Apostolicę honorificentior, vel Imperatoribus & Principibus carior? Quæ sibi omnia Principes nobilitatis Vestræ & litterarum scientia, & rerum gestarum gloria conciliarunt. Quantum enim tam Christophorus

quàm

quàm Ludouicus Madrutij (vterque Cardinalis, Episcopus, Princepsq. Tridentinus) vniuerso Madrutiorum nomini dignitatem attulerit, cum ex Summorum Pontificum; tum ex Principum Christianorum, Imperatorum, Regumq. iudicijs intelligi facile potest. Ille enim ob singularem in rebus gerendis prudentiam à Carolo V. Imperatore, post hominum memoriam clarissimo, Ciuitatis Mediolanensis Gubernator, formidolosis temporibus & maxime dubijs constitutus: hic verò ad Cæsarem legatus de rebus maximis sæpe missus, tanta cum animi constantia & fortitudine, tum prudentia & consilio legationem obiuit: Generalis etiam totius Ecclesiæ Catholicæ Inquisitoris munere tanta sapientia & humanitate fungitur; grauissimis denique & amplissimis negotijs tanta præesse consueuit dexteritate, vt quà naturæ, quà sapientiæ, quà fortitudinis, quà humanitatis diuino dono atque munere & hæreticis terrori, & suis honori, & Principibus Christianis decori, & Sedi Apostolicæ laudi, & omnibus sit admirationi. De Illustrissimo Patre tuo Ioanne Federico Madrutio dicerem, nisi omnibus esset perspicuum, quas res gesserit, quam personam sustinuerit. quæ cum satis splendeant ipsa per sese; tamen nescio quo modo illius Celsitudinis & dignitatis amplitudo in Vrbis celebritate, quasi in bono lumine apparet illustrius. Nec hoc loco Gaudentium & Nicolaum Madrutios attingam, viros & pace & bello clarissimos, qui ita, & domi, & foris rem communem administrarunt, vt non ad eam solum nati, sed et facti viderētur.

Nec de

Nec de Te dicam, vel quid alij prædicent, vel quid ipse sentiam: nolò videri seruire artificiosè auribus tuis, aut aliqua assentatiuncula aucupari gratiam tuam, tantum dico, ex generosa stirpe prolem non nisi generosam solitam existere. Quod cum iam cumulate omnibus probaueris, maiorum tuorum & institutis seruandis, & vestigijs persequendis: eam pręterea ingressus es viam, quam si sequeris, id assequeris breui, vt nobilitatem tuam non à maioribus accepisse, sed eos præuertisse, & illis præluxisse videare. Tu igitur Illustrissime & Reuerendisime Antistes cui nominis mei commendationem defero, relicto rei pondere gratum scribentis in te animum agnoscas, & dum alia non indigna tibi elaboro & paro, benigno hæc vultu amplectaris. Vale.

GERARDVS PAVLI
LECTORI S.



VM difficillimum sit animos mortalium, eo quòd humo affixi ad præsentia solum oculos adijciunt, in Dei, rerumq. cælestium amorem pertrahere, mirari forte lubet (Benigne lector) cur materiam de vera & falsa Sapientia, in qua vera Dei cognitio consistit, quæ non amplissima solum est, sed & prope infinita, intra tam arctos paucularum cartarum cancellos Auctor incluserit. Cuius rei rationem accipe, Auctoris mentem; qui non, vt pro tractatus amplitudine volumen conscriberet, decreuit; sed vt eorum instar, qui messores subsequendo, transcursas a falce spicas legunt, per sacram paginam sparsas hinc inde sententiolas colligeret; easque non indoctis, aut vulgo, sed iuxta Principis Peripateticorum præceptum, sapientibus, vel omnibus, vel pluribus, vel sapientissimis dicaret. Adde quod aliorum potius, quam suo maluit bonori consulere; qui tam amplum nacti scribendi campum, in quem & excurrere, & vires ingenij experire possunt, hanc ipsam materiam pro dignitate procul dubio sint tractaturi. Cum vero non tam munus, quam dantis animus debeat respici; Tu, Benigne lector, qualemcumque hunc laborem, qui pro animarum salute, Ecclesiæque Catholicæ incremento susceptus est, æqui boniq; consulito, & studiose legito. Vale.


EIVSDEM AD LECTOREM EPIGRAMMA.

NOXIA fallaci ne te sub imagine ludant
  Verba Sophum, aut facilis dogmata praua probes:
Neue Sirenæi recto tetramite Vatum
  Deflectant cantus, abripiantque procul:
Ast magis vt verum falso discernere noris,
  Exiguo Præsul codice RESTA monet.
Scilicet ille viam exemplo, vitaq. libroque.
  Et voce ad Superum scandere tecta docet.
Ergo iter vt tali capias ductore secundum.
  Hunc volue assidua sedulitate librum.

Eiusdem.

Eiusdem.

Magno quod olim Panthoides senex
Sudore,& annùm quinque silentio
Exercitatis explicauit
Discipulis, docuitque sollers:
Quidquid Lycæos inter obambulans
Hortos, acutis aut rationibus
Conclusit, aut multum profundis
Sepsit Aristoteles elenchis:
Aut plurimorum docta volumina
Magnis virorum scripta laboribus
Clausère tectis sub tenebris;
Perspicuum voluere gressum.
Virtutis sacras ad latebras dare.
Defessus agros hinc Parethonios,
Totamque Memphim circuisti
Docte Plato, & Babylona magnam.
Fossa Cleanthes per viridaria
Haustas silenti sparsit inops aquas
Luna, diurno quo sophiæ
Tempore commodius vacaret.
Vanè latentes tot veterum libris
Virtutis, almæ quos Triadis latet
Numen; recessus peruagantur.
Absque Deo nihil inuenitur.
Ne te laborum sæua tenacitas
Frustra legendo conterat irrita
Quid Christiana virtus sit, Deique
Vera scientia RESTA tradit.





F. PROPERTII RESTAE DE TALLEACOTIO EPISCOPI GERVNTINENSIS ET CARRIATENSIS.

De FALSA ET VERA SAPIENTIA.

Liber Primus.



OMMVNE est omnium animantium, quæ in terra marive comperiuntur, generare, vel generari; nasci, educari; agere, aut pati; augeri, & minui; viuere, & mori: at verò Deum agnoscere conditorem, & ad eum tamquam finem vltimum deuenire, solius est animantis rationem in se habentis. Qua quidem re homini ablata, vix satis assequor, aut

 video,

video, quid inter homines & pecudes intersit: immo facilè perspicio, hominem, religione, virtute, cultuq́, Dei semoto, multis nominibus ipsis feris, & belluis esse inferiorem: quandoquidem animalia ratione carentia, nedum sensuum subtilitate, corporis agilitate, celeritate, robore, & viribus; verùm & vitæ diuturnitate, sint homine longè præstantiora. Hinc fit, vt ex nobis, dum in huius vitæ curriculo sumus, nemo sit, qui huius scientiæ expers, & eius, quam ducere debeat, vitæ cognitione vsque adeo priuatus existat, vt, cùm mortali corpori, tum immortali animæ pabulum parare nesciat. Corpus enim cibo, & potu viuificatur, alitur, nutritur, & perficitur; animæ verò cibus, & alimentum sunt virtutes, quæ sunt habitus mentis benè instituta ad modum regni, quod tunc benè institutum esse arbitramur, quando in eo rectè consulitur, imperatur, & obeditur. quo quidem pacto, si ratio in regno animæ rectè consulit, voluntas iustè, & rectè imperat, & vires animæ rectè obediunt: tunc virtutes huiusmodi instituto totam perficiunt animam, ipsam disponentes, & ordinantes: quæ quidem virtutes vel bonitate, vel malitia complexionis impediuntur, vel adiuuantur. quare fit vt tardius in opus exeant,

Hominis alimentum. Simile.

Virtutes perficientes animam.

nisi

nisi crebrò exercitijs, & operibus adiuuentur, quibus ad verum finem, quo ipsarum integrè natura perfici potest, homo ipse deducitur: qui finis is prorsus, quo intellectus, & voluntas, quibus solis, homo vt est, verè homo censetur, & abundè complentur, & suaui quadam satietate, sufficientiaq. fruuntur.

Vt autem hunc finem & attingere, & securè possidere valeamus; omnia tentanda nobis sunt, omnia mouenda; nullis omnino animus applicandus, quibus eò properantis iter seu impediri, seu tardari contingat.

Magnum sanè opus, nec minus arduum, quàm præclarum, ita vt ad perficiendum vix tempus irremissum, industriaq. sufficiat: sola autem necessaria, tum corporis, tum animæ ingenti sobrietate, moderamineq. libanda, potius quam sumenda. Quicquid subinde temporis, quicquid virium, facultatisque superfuerit, eò solicitè, obnixèque protinus conuertendum, quò iter ad eum finem quàm breuissimum, quàm tutissimum, quàm expeditissimum demum reddatur.

Quamplurima enim sunt ad ea, quæ hominibus optima esse, et planè utilia iudico consulenda. Nam dum veteres scriptores euoluerem, illud ijs,

qui horum lectione delectantur, obſeruandum duxi, vt non ad eorum ſententias mentem, veluti ancharas adijciant; ſed quæ in ijs vtilia repererint, tantùm ſectentur; reliqua vt nihil profutura omnino reſpuant. Eſt vtique Poetis, Oratoribus, & omnibus alijs vtendum, quatenus ex illis futura ſit aliqua vtilitas, quæ ad animæ faciat ædificationem: nam vt fullones, & tinctores medicamentis quibuſdam rem tingendam præparant; atque ita demum colorem, quem cupiunt, ſiue purpureum, ſiue album, ſiue nigrum, &c. inducunt: ſic & nos vt generalia pulchritudinis æternæ vitæ illita nobis maneant, oportet quidem vt non niſi prius purgati, ſacras, & arcanas Scripturæ diſciplinas attingamus; at purgato animo, quaſi Solem in aqua videre aſſueti, facile in æternum illud lumen oculos conijciemus.

Modeſtia auctoris.

Quamobrem ſi noſtrorum, ac gentilium ſermonum vlla eſt conuenientia; nobis illorum valde conferet notitia: ſin minus, eos ſaltem ſimul conferendo differentiam diſcere licebit, vt inferiora ſæpe collata ſint potioribus ornamento. Veluti plantis, quibus propria virtus eſt fructibus pulcherrimis ſcatere, folia nihilominus ramis coniuncta

Simile.

iuncta

iuncta quoddam ferunt ornamentum: sic & animæ, cui præcellens est veritas, ipsa est eius fructus; non tamen ab re exteriore sapientia circumdatur: sicuti folijs quibusdam vmbram fructui ac aspectum non intempestiuum præbentibus. Nam Moses, quum in disciplinis Aegyptiorum profecisset, & maximus apud omnes homines haberetur, tunc ad Dei contemplationem processit: Et Daniel vbi in Babylone sapientiam didicit Chaldæorum, demum diuinas attigit doctrinas.

Disciplinæ igitur profanæ non sunt animæ omnino inutiles; est tamen maximè aduertendum, quomodo eis vtendum sit: non enim omnibus est mens adhibenda, quæ à profanis dicuntur, sed eis tantùm, quæ bonorum hominum facta præclara dictave continent, & illa imitanda: quando verò ad nefariorum hominũ narrationem descendunt, aures obstruere, non minus quàm Vlysses ad Sirenum cantus; quoniã prauis sermonibus assuescere, via quædam est ad rem ipsam. quare omni custodia animi cauendum est, ne deliniti per voluptatem sermonis, prauum aliquid assumatur: veluti qui venena cum melle occultant. In actionibus enim, & iudicijs non est commodum, sed abhorrendum mendacium: sed illorum ea dumtaxat

Profanas scientias non esse inutiles.

Profanis scientijs quomodo vtendum.

Simile.

xat recipiamus, in quibus virtutes laudauerunt, vel vitium vituperauerunt. Nam non, velut in floribus solum alij quærũt odorem; apes verò fructum, non odorem curant, ita in lectione auctorum est procedendum; sed & quod iucundum & dulce fuerit, cum vtilitate coniungendum. Et veluti apes non omnibus floribus insidunt, neque ex eis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur: sed quantum ad opus est ipsis necessarium, comprehendunt, reliquum vero dimittunt; ita nos vt sobrij, sapientesque, quantum congruum fuerit, prosequamur; reliquũm prætermittentes, vt in rosis legendis spinas vitemus.

Simile.

Est igitur ab initio cuiuslibet doctrinæ considerare, et ad finem certum accommodare; & lapidem ad funiculum applicare opus erit: & quando per virtutem ad vitam hanc veram ascenditur, virtus autem ipsa plurimum à Poetis, Historicis, & Philosophis commendatur, talibus sermonibus eorum maximè vacandum.

Cuiuslibet doctrinæ initiũ.

Vnde ante omnia nobis est virtus curanda, quæ naufraganti præsto adest, & connatat; & in terra nudus existens, honoratior, & felicior redditur. Virtus sola possessio immortalis, & immobilis, viuenti, & morienti permanens. Hinc Solon

Simile.

Virtutis possessio.

Solon philosophus.

lon Philosophus iure ad diuites aiebat: Nos nequaquam commutabimus cum virtute diuitias: virtus enim firma est; diuitias uerò alius alias, et aliter interdum habet. Et de Hercule Prodicus refert, quod dum in biuio dubius sederet, quem uitæ cursum teneret, uidisse duas feminas, ut habitu ita consilio diuersas ad se accedentes, quarum prior molliore facie lasciuis oculis, sermone blando omnia fausta, et facilia, vitamq. delicijs abundantem si se sequeretur, promittebat: altera verò, virtus scilicet, vultu rigido, squalenti mœstoq. ore magnam fiduciam atque constantiam præseferens, nihil iucundum, nihil amœnum ostendebat, sed mille pericula, laboresq. immensos subeundos: præmium tamen immortale inde se daturũ, & ad extremum eum sequuturam, & inter deos collocaturam recipiebat. Quam Hercules, vtpote vera bona pollicentem sequutus dicitur. Non aliter sanè, quicumque aliquid apud veteres scriptores de sapientia, cuius illi pro viribus laudem scriptis suis prosequuti sunt, legerit, ei omni conatu tentandum est, vt quam illi uitam oratione commendant, ipse moribus exprimat.

Prodici sententia.

Simile, & discrimen virtutis, & voluptatis.

Itaq. qui opere confirmat eam philosophiam, quæ apud alios verbis tantum commendatur, is

Sapiens quis.

sanè

sanè sapiens est. Qui autem verbotenus tantum sunt philosophati, nec vita sunt comitati sermo-
Simile. *nes, sunt vmbris comparandi, & aliquid simile pictoribus præseferentes, qui hominis pulchritudinem in tabulis imitantes, talem effingunt, qualis ille verè reperitur: laudare enim virtutem, & sermonem de ea in longum protrahere; sed priuatim voluptatem præferre temperantiæ, iustitiæ, ca-*
Simile. *stitati, &c. similes histrionibus redduntur, qui in scenis fabulas agunt, & vt Reges, & Principes*
Simile. *ingrediuntur: quum nec Reges, nec Principes, nec fortasse liberi existunt: & musicus vt Populo canat, non facile sumet; nec chori præsul officium suum peraget, nisi ex æquo habeat correspondentem chorum: quo pacto etiam quisque à seipso dissidebit, dum verbis non adhibet consonam vitam; sed linguam consonam virtuti, mentem verò, &*
Euripides. *opera disparem adfert. Et vt Euripides dicebat, cupio bonus videri, magisquam esse. Enimuero turpe est, cum ea, quæ in cibis noxia sunt, repellamus; in verbis, & scriptis eorum, quæ animam nostram nutriunt, nullam omninò rationem habe-*
Simile. *re: sed, more torrentis, obuium secum trahere.*
Simile. *Videmus enim, quod nauta non committit ventis nauem sine ratione, qua illam ad portum dirigere;*

insti-

instituerit: sicut & sagittarius ad metam, & scopum non antea præmeditatum minimè iaculetur: fabri, & architecti ex arte sua ad aliquem finem rem perducunt: et nos talibus artificibus sapientia inferiores sumus, ad consideranda, quæ ad profectum nostri animi faciunt? Erit operariorum consideratio finis operis, & humanæ vitæ consideratio finis non fuerit? Quem finem respicere, & eius gratia cuncta facere, & dicere oportet, qui non cupit brutis æquiparari: Quo neglecto, mens nostra veluti sine arte nauigium, nullis insidentibus gubernaculis, temere huc illuc exagitatur. Nam vt ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandas feras canis natus est, &c. sic homo intelligendi, & agendi cupidus, humanam naturam adminiculo uirtutis cum diuina commutare nititur. Ceteris itaq. omissis, animæ cura in primis gerenda, non corpori seruiendum, nisi quantum usus exposcit: animæ uerò meliora tribuenda, & ob societatem ad corpus, ea tamquam e carcere per philosophiam soluenda: & corporis seruitute, ac perturbationibus leuanda. Ventri autem tantum quod sit satis: non autem usque ad delicias, & uoluptates ministrandum: sicuti quidam mensæ diligentius studentes, & coquos inqui-

Finis considerãdus.

Simile.

Hominis cupiditas.

Similia. *rentes, quam animi felicitatem peruestigantes, & cõtemplantes, aquam cribro ferentes, veru ignem diuidentes, ac fracta dolia vino implere conantes: nullum denique finem laborum habentes. sed quæ sint, & quomodo discernenda, hoc aperiam: si ei doctrinæ soli quis animum intendat, vacet, & incumbat, qua animus ab omni penitus terrenæ facis labe exterius, tàm purus, tàm mundus, nitidusq. euaserit, vt & Deum iuxta sacrarum literarum sponsionem videat: & pace, quam omnem exuperare sensum asserunt, perfruatur. Verùm ne quis ex aliquorum philosophorum doctrina decipiatur, operæpretium duxi, breuibus narrare, quanti sit eorum doctrina, & quanti gentilium libri, eorumq. dogmata æstimanda: & vt certo ordine, ac ratione id fiat, altius repetendum: & nedum singulorum sententiæ, verùm, & dogmata ventilanda.*

Socratis opinio. *Socrates primum ethicam inuexisse memoratur: alia enim tùm difficilia intellectu, tùm parum vtilia perceptu ei visa sunt vniuersa: de virtute autem atque officio eius disserere, non solùm*

Quanta sit virtutis necessitas & vtilitas. *vtile fore, sed & necessarium censuit. His enim vita temperatur, regiturq. mortalium; ita vt benè, beatèq. viuere nemo queat, nisi eius quam*

ipse

ipse asserebat, virtutis ductu moderamineq. directus. Nulla autem inter ea, quæ à Philosophis, ac dogmatibus, ex eo fonte manantibus uirtutum genera nominantur, & nostra differentia est. Vtriq. enim ijsdem iustitiam, ceterasq. virtutes terminis (vt notum est) definiunt: ita vt eadem sit nostra, atque eorum officij ratio. Et licet nonnumquam quidam in quibusdam dissentiant: tàm pauca tamen sunt, tàm exigua, vt aut paruifacienda sint, aut certè silentio prætereunda: illa autem sola amplectenda, quæ nostris concordare in omnibus deprehenduntur. Veruntamen tam diuersa à nostris horum sententia uideri solet, ut in nullis omnino concordare eos existimem: & licet descriptiones consentiant, aliter tamen ab his, aliter à nostris accipiuntur.

Primo itaque de virtute, atque officio generali quadam figura differendum, paulatim deinde ad species descendam: quibus descriptis, manifestè patebit, quantum à nobis eorum de virtute, & officio ratio differat. Ea planè definitio, quæ ab alijs poni consueuit, haudquaquam improbanda: omnia siquidem, quæ ad hominis virtutem pertinere videntur; pulchrè, atque aptè comprehendit: non tamen eò euehitur, quò tam præ-

claræ, tamque excellenti opinioni, ac nomini conuenit:

Virtus quid.

Cum enim dicitur, quòd virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens, plura vtique innuit, plura complectitur: ab homine tamen, vt necesse est, haud quaquam discedit: vnde fusa quadam ratione ipse virtutem describam, quam tum à fine, tum ab effectu, ac etiam actu, & alijs pluribus, vt tuè quis sanæ mentis animaduertere poterit, sumam, atque deducam: sed primum de virtute; de officio postea.

Definitiones virtutis.

Virtus vera est habitus, quo à mortalibus ad immortalia, atque æterna homo transfertur. Est virtus animi affectio, in diuinam naturam, summa ope tendentis. Est item vis mentis, in finem optimum, via optima, atque expeditißima se mouentis. Est sanctißima vitæ moderatrix humanæ. Est rursus numinis suæ bonitatis influxu mentes ad se rapientis animi temperata dispositaq. affectio. Est animi vis in sui æternum increatumq. exemplar, ingenti ope nitentis.

Est habitus seu Deus, seu Dei similis inuicta vi effici contendentis. Est virtus ea animi sublimitas, qua rebus humanis homines superiores euadere possunt vniuersis: Et hic non est prætereundum,

dum illud Biantis dictum saluberrimum, qui filio adeunti ad Aegyptios, & percunctanti, quod ei maximè gratum faceret, et Viaticum (inquit) senectutis possidendo: appellans virtutem viaticum. Biantis dictum de virtute.

Est hæc virtus tam excellens animi affectio, ut nullis prauis, nullis fragilibus, caducisq. unquam rebus succumbat: & alia huiusmodi, quibus optima, hominique decentia officia emanant omnia: quæ tum perfecta sunt, cum cuiusque personæ proportione quadam admirabili accommodantur, conueniunt, congruunt.

In officijs enim sexus, ætas, conditio, facultas, professio, dignitas, locus, occasio, necessitas, causa, & alia huiusmodi, propensè, diligenterq. obseruanda: quod si fiat, decorum primo, honestum deinde in singulis enitescet: omne siquidem decorum, honestum est, etiam si à nullo laudetur.

Quærimus igitur, quodnam officium præcipuum, præclarissimumq. hominis, à quo nullus penitus excludatur, dicendum sit? Multa siquidem officia sunt personarum tantùm: ipse verò non personarum ad præsens quid sit, inquirere statui, sed hominis.

Est igitur hominis officium, Deum immobili, Quid sit hominis officium.

iugi,

iugi perpetuoq. pietatis, ac sanctimoniæ studio, nisu, atque instantia colere, eique in omnibus se subijcere; leges ab eo latas inuicta vi, constãtiaq. seruare: eius præceptis summa ope omnibus obsequi: propter eum omnia quæcunque facienda sunt facere, quæcunque euitanda sunt euitare; ei vni viuere, ei mori, laborare, dolere, gaudere, loqui, silere, diligere, odisse, & alia huiusmodi patrare omnia. Qui autem hæc facit, non homini, sed Deo inhæret: non propriæ voluntatis, sed ipsius iussa numinis ita complectitur, vt nulla sua, ac propria, sed Dei tantum consilia & decreta sectetur: quæ planè tam magna res est, tam excelsa, vt in ea constitutus, ceu Deus iam dici possit. Nam si Dei absoluta voluntas potestate plena est; ille qui nihil vult, nisi quæ Deus, nunquam suæ voluntatis bono fraudatur.

Ea igitur virtus, quæ huc hominem non euehit, nequaquam virtus est, sed quædam potius fallacia: qua licet Philosophi homines beatos cõstitui asserant, ea tamen infelicissimi, miserrimiq. redduntur. Inter nostram eorumque virtutem differentia hæc est: hæc cultores suos beatos, ea miseros, infelicissimosq. constituit. Nec mirum, Epicuri sectatores per multos fuisse, Aristippi

Differentia inter Christianorum & Gẽtilium virtutem.

stippi verò re ipsa ferè omnes: ille siquidem animi, hic corporis voluptatem summum bonum definiebat.

Quod ille optimè tenuisse visus est, qui ait: Probitas laudatur, & alget. Indę posuit Carneades paria contra iustitiam, & pro iustitia argumenta. Non enim iustitia illa fuit, quam prius defendit, & postmodum confutauit: sed opinio, præsumptioq. stolidè, quæ nesciebant affirmantium, atque negantium. Inde Aristippus, alijq. permulti, non minori vi sua asserere potuerunt, quam ille idem improbare, atque destruere: inde rursus Pythagoras dicere forsan vera potuit, cum de omnibus ex æquo disputari posse assereret. His illudebat ille, qui cibum, potum, coitum, & huiusmodi alia horũ virtutĩ præferre non verebantur.

Democritus verò hanc olim ridere solebat, quippe qui norat, non virtutẽ esse, sed virtutis vmbrã, quam verbis eos extollere nõ pudebat, quum re ipsa improbare eam, atque execrari consueuissent. Veræ enim virtutis sacramentũ, huiusmodi monstra attingere minimè potuerunt. Inde à cælesti præceptore propensius admonemur, ut nec Sanctum canibus, nec margaritas porcis proijcere præsumamus, ne hi cõculcent eas pedibus suis: canes

nes autem in nos conuersi diripiant.

Quid facto ergo opus est? quis interrogabit: ipsos, cum praeceptorem è cælo, vt nos, non haberent, excolere tamen hominum animos pro ingenij facultate non piguit. Non enim homines docere quis putet; sed nomen suum in sæcula propagare, conati sunt: nam vel ij è cælo praeceptorem, si voluissent, habere potuissent.

Verùm vt res clarior fiat, animaduertendum, præsupposita tamen prius moderatione animi, bonitate, sapientiaq. lectoris: quoniam non, quo pacto omnes fere, qui doctores existimantur, se habeant: non enim vt discant, quærunt, & interrogant quempiam nostrum, sed ut irrideant. Quod licet nihil ipsi pendamus, quin inscitiam atque amentiæ iunctam confidentiam, & arrogantiam miseremur: eos tamen quoad possumus, & licet, vbicumque occurrerint, declinemus. sed his omissis, quo pacto è cælo præceptor vnicuique præsto sit, iam deniquè perscrutabor, illa prætermittens, quæ ait Euangelium, vnum scilicet tantum hominum magistrum esse asserens: ait enim: Vnus est magister vester, quem vnum audire, è cœlo dimissa voce, iubemur: qui dicitur lux mundi, hominum, videlicet, quæque mysticis obtecta sacramentis,

mentis, magos ab Oriente in Bethlehem, vt magistrum veritatis ostenderet, olim perduxit.

Horum quispiam forsan probationes efflagitat; sed mysterium veritatis, cælesteq. sacramentum non nisi fide percipitur, secundum illud Esaiæ dictum; nisi credideritis non intelligetis: & David. Credidi propter quod loquutus sum. Quædam tamen ad numinis nos veri cognitionem aliquo pacto, modò ipsi naturæ uim nostræ non aspernemur, deducere possunt. Et quidam etiam Philosophorum id tenuisse videtur: ait siquidem horum aliquis, sacer inter nos spiritus sedet, malorum, bonorumq. nostrorum obseruator, & custos. Et Cicero in lib. de Repub. vnum esse communem quasi Magistrum, et Imperatorem omniũ Deum asserit: Plotinus autem sensum Platonis explanans, Augustino teste; Deum lumen esse mentium asseuerat, quo intelligimus, quæcumque intelligimus. Cæleste sacramentum solũ fide percipitur.

Hoc autem haudquaquam difficile est nosse, animaduertentibus effectus, per quos ad causæ cognitionem, ductu rationis facile perueniunt ex motis ad id, quod non motum mouet omnia. Verum cum hi Deum cognouisse quodammodo videantur (Deus enim ipsemet se illis insinuauit, vt Apo- Rom. 1.

stolus ait) postmodum tamen, vt idem subijcit, euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, & stulti facti sunt. quæ stultitia manifestè, vt postea dicetur, prodibit. sed psalmographo nulla omnino dubitatione credendum, qui cum sacrificia, quæ ex carnibus, cruoreq. pecudum, seu volucrum fieri consueuerunt, parui, aut certè nihili, vt reor, faceret, mortalibus loqui videtur, dicens: Sacrificate sacrificiũ iustitiæ, et sperate in Domino. Deinde ponit ea, ad quæ respondere quamplures consueuerunt. Ad hanc enim vocem percunctari videntur dicentes: quis ostendit nobis bona? quæ videlicet hominibus quis persuadere conatur: quibus ipse extemplo respondet: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: quasi dicat, quid me rogatis? Lumen diuinum, æternũ, increatumque signatum est super nos; hoc est, impressum, atque infusum, ita vt nullus valeat ignorationem veritatis prætendere: & licet prius, ceu per foramen exigua æterni radij scintilla in mentes influat: si ab illa tamen duci nos temperariq. permittamus, paulatim excrescit, in diesq. maiora, sanctioraq. iniungit, quæ si ipsi alacri, promptoq. animo exequamur; eo denique Deo ipso duce prouehi-

Psal. 4.

uehimur, vt totum diem, vt plenum, atque integrum lumen admittere valeamus: quia liberi voluntate arbitrij omnes præditi sumus, radium illum ad superna vocantem, & sequi, & non sequi, prout libet, possumus.

Superbia, vt arbitror, quædamq. letalis, & vt ita dixerim, virulenta præsumptio nos, vt Deo similes sine Deo esse quæramus, impellit: hac, vt ait Isaias, Spiritus ille Angelorum supremus inflatus, aiebat: Ascendam super astra Dei, & ero similis altißimo: quo rursus veneno homines in paradiso nuper positos infici demum curauit: Cum enim Dei mandatum transgredi eis persuadere contenderet, ait: Si vetita poma comedetis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dij. Hi planè contra Dei præceptum, maiorem propria facultate excellentiam quæsierunt: quo factum, vt inde miseri redditi sint, vnde beati; inde praui, vnde magni; inde stulti, vnde sapientes effici & sperauerunt, & quæsierunt. Hoc omnes impij, hoc omnes non Deo subiecti veneno corrupti sunt.

Isa. 14.

Gen. 3.

Hoc antiqui Philosophi forsan omnes infecti, proprijs viribus beatos se fieri posse putarunt: haudquaquã quanti sit beatitudo, quam mortales omnes inhiant, perpendentes. Nullam enim par-

Boet. lib. 3. de consol. philos.

tem beatitudinis, quæ est status, omnium bonorum aggregatione perfectus; sua homines facultate acquirere, tueriq. possunt.

Si igitur virtute beatitudo quæritur, nullus humana vi eam obtinere posse se norit. Beatitudine enim tamquam dij efficimur: quapropter ad hanc excellentiam absque Dei ope ascendere omnino nequimus. Hoc tamen Platonem ibi quodammodo intellexisse quis forsitan suspicetur, vbi ait: laudandum esse Deum omnium ducem, præsentium, & futurorum: & ipsius ducis, & causæ patrem omnium Deum adhibet: quem si esse contemplemur, eò planè perueniemus, vt quoad fieri potest, felicitatē adipiscamur. Felicitatem vt hinc constat, quam virtute propria plerique Philosophorum et quærunt, et inueniri posse autumant, sine Deo, ut mihi videtur, obtineri non posse ille quodammodo nouit. Hoc idem, vt reor, Hermes cognomine Trismegistus intellexisse videtur, cum ait, eam esse Philosophiam verè censendam, quia simplici mente, & anima diuinitatem colere eiusque facta venerari; agere etiam Dei voluntati gratias, quæ est bonitatis sola plenissima, non cessamus. His enim nobis ipsam diuinitatem fore propitiam norit: ideoq. colendam esse sedulo admonet.

monet. Hoc idem alij permulti in ſuis paſſim libris affirmant: non enim vis naturalis tanta eſt, vt eò per ſe celſitudinis aſcendere valeat. Ille enim ſolus virtutem bonis ita prouehit, ita auget, atque amplificat, qui vnus virtus eſt infinita, cuius fotu, atque complexu virtus hominis ita roboratur, ita excedit, ac ſeipſam exuperat, vt omnia poſſit, vt tamquam Deus vniuerſa ſed minora, atque inferiora miretur. Hac forſan virtute ſubnixus Ioſue, Soli, ac Lunæ olim imperare obtemperaturis non dubitauit. Alius mare aperuit, flumina exſiccauit, fontes è rupium præruptis imperio quodammodo ſuo eruit, atque eduxit: alij mortuos vitæ, ægrotos ſanitati reſtituerunt.

Nec quis dicere audeat, quòd hæc fide, non autem virtute fieri conſueuerunt, quandoquidem fides magna eſt, ita vt in Euangelio dictum ſit, omnia poſſibilia ſunt credenti; nulla enim virtus ſine fide ſtare poteſt, quæ eſt omnium virtutum fundamentum; hæc tamen fides tot rationibus, tanta vi perſtat, vt nullus abſque ingenti ſcelere, hanc aſpernetur. Inter cetera enim ex quodam diuinæ cognationis articulo, diuinitati ipſi animus ſemper hominis inhiat: eoq. vi quadam inſita, atque innata tendit: ceu ignem ſurſum ſuapte natu-

ra,

ra, instinctuq. vt ita dixerim, niti videmus. Ob quandam autem æternitatis agnitionem, nihil ab homine fieri, si propensè intueamur, deprehendemus, quod non eò tendere quodammodo videatur: ita ut uel inuitus hac natura agi, hoc instinctu duci manifestum sit. Superbus siquidem eò celsitudinis euehi propria virtute contendit, quo nisi diuinitatis & gratia, & ope ascendi non potest: ambitione actus honorem, & gloriam: inuidia singularitatem: auaritia sufficientiam: iracundia securitatem: accidia, quietem: gula, satietatem: petulãtia ac libidine impulsus, voluptatem inquirit. Ac denique quocumque vitio corruptus, cum falso in cunctis iudicio agatur, & felicitati, beatitudinique & inhiat, & deseruit: quæ sola vera virtute, sapientiaq acquiritur.

Virtus ista de qua loquor, ita sapientiæ coniuncta est, vt altera ab altera separari non possit: & vt quidem mihi dixisse videtur hic sapiens, virtus habet se ceu ignis ad cereos. Est enim, ut scriptũ est, Deus ignis: ignis inquam similitudine quadam, non proprietate: humana verò mens licet optime disposita est tamquam cereus quidam, non dum igne accensus: quæ si increato huic igni inhæreat, illico rapitur, atque accenditur: accenditur in-

quam

quam velut papirus cerâ illata: cui si hic ignis applicetur, ardet flãma sua quodammodo, ac etiam non sua: splendet quodammodo luce aliena. si candela igitur in similitudinẽ ex glacie feceris papirum, vt in ceram inseras, ignemq. admoueas, eam nequaquam accenderet, sed dissolueret potius, ac destrueret: ignis autem eam non solum non accendet, sed in ea quodammodo extinguetur: ita vt frigida simul, ac tenebrosa remaneat.

Mens planè humana ceu candela illa se habet: dispositio autem materiæ, ceræ videlicet illius, virtuti similis est: quæ licet magna sit, ac vehemens, ita vt admotum repente ignem arripiat, nisi tamen ignis admoueatur, accendi non potest. Habitus autem perfectus, tamquam ceræ optima dispositio est; quæ nisi igni accedat, friget, ac torpet, & nec calore, nec luce aliqua decoratur.

Ille verò ignis diuina vis est, ab illa numquam candela ex cera optima constante separabilis: ita ut licet de ipsa candela, intelligendi planius gratia, ita loquutus sim, vt sine igne esse aliquando posse videatur: numquam tamen est sine igne, hoc est, sine Deo; qui quia extrinsecus quodammodo venit, ipsam per se candelam nihil esse dicebam. Nam ignis ille æternus semper ardet, et lucet: omniaq.

niaq. pro quantitate virtutis seu accendit, seu destruit: ligna virida, mentes videlicet haud satis disposita, licet huic igni coniuncta, flammam tamen, & obscuriorem fumo, caloremq. molestiorem, tristioremq. emittunt: Ex siccis verò, et aridis clariores, salubrioresq. emittuntur: emicantq' repentè vapores. Ac ita specierum varietas habituum varietatem innuit omnium. Glacies verò aut vim in se ignis extinguit, aut igne demum destruitur: ac etiam forsan efficitur tepida, vt illud audiat, Apocal. vtinam aut calidus, aut frigidus esses; sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo.

Ex ista similitudine, quo pacto virtus humana se habeat, facile intelligi potest. splendor siquidem sapientia, calor autem virtuti componitur: qui quia separari ab inuicem nequeunt, vera virtus semper sapiens dicenda est. optimus autem perfectissimusq. animi habitus dicendus est, si in eo hic ignis exastuet. Talis habitus sine Deo esse numquam penitus valet. Ipse enim vnus, sua in nobis dona, & custodire, et prouehere potest. Cera autem aut glaciei similes sumus, si assensum aut prabemus, aut retinemus. Cum autem dicitur: appropinquate Deo, & appropinquabit uobis, sic

acci-

accipiēdum esse arbitror, vt scilicet ipsi tamquam cera efficiamur: quo mysticus ille ignis in nobis flagrare facile valeat.

Nullus tamen putet, vel huic ceræ similes fieri nos posse, nisi gratia Dei, donoq. iugiter influentibus actos. Philosophorum virtus numquam eò prouecta est, vt Spiritu sancto, & igni accendi aliquando potuisset.

Respondit olim Io. Baptista rogantibus, cur baptizaret: ego baptizo in aqua: post me autem venit, qui ante me factus est, hic baptizabit vos in Spiritu sancto, & igne. hic ignis comburit sordes vitiorū vniuersas. Inde ait verus præceptor: Ego veni mittere ignem in terram, & quid volo, nisi vt ardeat? Si hanc similitudinem rectè quis secum perpendat, quo in nobis pacto se virtus habeat, facile peruidebit: videat iam sine Deo eam nihil penitus esse posse. Ioan. 1.

Verùm quid in ijs veri lateat, perscrutabor. Sunt planè quidā Philosophi, qui huius veræ rationem virtutis tenuisse visi sunt. Quod si ita est, & eorum vita verbis non repugnarit, non alienos, sed nostros appellare non dubitabo. Iob vt D. Greg. asserit, gentilis extitit: ex ipsius tamen scriptis sapientissimus fuisse videtur: quem ante

Musæum, Orpheum, Trismegistum, Pythagoram, Platonemq. fuisse manifestum est. Amicos etiam illius sapientia insignes extitisse, ex eorum dictis deprehenditur. Tales innumerabiles tamen fuere: nondum enim deorum falsorum opinio (vt M. Varro, teste Lactantio, asserit) vulgata, lumen mentis, vt postea factum est, extinxerat. Hi omnes nulla lege, nulla disciplina, sed eo lumine instructi sunt, qui et vnus præceptor est omnium, & omnes illuminat præter eos, qui sua voluntate, atque arbitrio tales se effecerunt, quales igne illo accendi, & illustrari non possent. Sunt profectò qui dicunt, malos posse quid rectè sentire: possunt plane, vt reor, sed potius disciplina, quam gustu: adeo usque tamen rectè sentiunt, etiã nullo præceptore instructi, vt malos se esse cognoscant, & boni effici: attamen non sine diuino munere, quod semper præsto est, valeant: nam statim ut resipiscere quis cœperit, ad ignem illum vtcumque disponitur: qui cum semper præsto sit, cõfestim vt ex glacie lignum licet viride, et humoribus plenum effectum est, ab illo igne tamen corripitur, & licet non absque difficultate flammam primo fumo immixtam effundit; paulatim tamen humore exploso, clarior fit ac lætior. Sed ne plura ingeram,

ram, numen hominum ab ſe plaſmatorum ſalutem ita cupit, ita deſiderat, vt ſuo eos complexu, ſtatim vt ad eum vertuntur, conſoueat: ita vt vbi nata ſcintilla in ijs lucis aliqua fuerit, tot fomitibus, tanta munerum ſuorum gratia prouehit, vt nulla eis deſint, quibus meliores effici valeant. Unde profectò Theologi, vereq. ſapientes, nec lumen verum, nec virtutem, quibus duobus conſtat hominis ſapientia, ſibimet vmquam tribuere auſi ſunt: Inde pſalmographus in lumine, ait, tuo videbimus lumen: & in virtute tua lætabitur Rex: tua inquit, quia hominis virtus potius Deo quam homini tribuenda eſt, ceu vis ſplendorq. ignis non cereo omnino, ſed igni potius adſcribenda: licet in nobis nec ardere poßit, nec lucère, niſi mens noſtra diuino actu ſic diſpoſita, ſic temperata ſit, vt cera igni. Nihil enim in homine ſine Deo perfectum eſſe poteſt: habet enim ſe, vt ſcriptum eſt, ad numen ceu palmes ad vitem, qui abſciſus, à viteq. ſemotus, fructum adferre nullum omnino poteſt. Emoritur enim vitis, alimentoque deſtituta protinus defluit, tandemq. areſcit. Hinc paulo poſt ab eodem dictum eſt: ſine me nihil poteſtis facere. Quæ ergo Philoſophorum virtus eſſe potuit, quando ſimiles fieri poſſent, qui hanc abſque Deo

adipisci se posse putarunt.

Psal. 16. *Nec obscura videntur, sed ijs tantum, qui ut ait Scriptura; oculos suos statuerunt declinare in terram, et ad carnalia tantũ declinauerunt. Homines planè tam vani sunt, tàm stolidi, ut uel vulgi opinione, uel sua quique libidine ita ducantur, ut in sacris literis iumentis plerumque ac belluis comparentur. Non est tamen putandum, eos qui literis operã dederunt, amisisse tempus: amittitur enim ab ijs, qui id otio, ac desidia transigunt: sed in ijs longè deterius quid contingit; ea enim in his perdiscendis perpetrantur, quæ nulla comparatione peiora, tristioraque, quàm quicquid otio, ac desidia delinqui potuerit, existimanda sunt. Hinc enim falsa dogmata fluxerunt uniuersa; cum enim nihil, circa ea, quæ modo tractantur, Philosophi norint, & sibi tamen honestiora, intellectuq. digniora didicisse persuaserint, cum uerbis, tum fallacijs, sophisticisq. rationibus armati sint, haudquaquam dubitant, quin mendacia, quin friuola, quin uanissima persuadere & possint, et debeant. Quia uerò Græcorum hic olim mos fuit, omnes ferè ab ijs hæreses, falsaque, ac mortifera dogmata fluxisse manifestum. Scio, dices nedum à Græcis, sed ab Orientalibus ferè om-*

A Græcis cur tot hæreses orta sint.

nibus

nibus maximèque, ut ait Hieronymus, à Chaldæis, ac Syris emanasse. Verum hoc ideo contigit, quia Græcorum disciplinas ij ferè omnes tunc sectabantur: eorum verò linguam ad Indos vsque & vulgatam, & celebratam fuisse tradunt. Hinc solum Arius, Sabellius, innumeriq. alij, cum his disciplinis imbuti essent, falsa dogmata quàmplurima induxerunt; sed & Origenes, vir in sacris literis ab ipsis incunabulis eruditus, eò quod, vt aiunt, Platoni operam dedisset, in tot, tam graues, tam noxios errores denique lapsus est, vt totum Catholicum dogma penitus euertere voluisse credi potuerit. Eadem rursus causa Apollinarem & peruertisse, & euertisse, à veraq. fide deturbasse visa est. Maior Constantinopolitanorum Patriarcharum pars, eò quod Græcorum imbuti essent disciplinis, & à recta fide multoties deuiarunt, & totam Ecclesiam sæpißimè, ac etiam grauißimè perturbarunt.

Origenes ex lectione Platonis in errores graues incidit.

Historias quis leget, & me haudquaquam mentitum esse manifestè deprehendet. Tanta enim ex ijs perdiscendis, sectandique leuitas, tanta ambitio, tanta arrogantia, gloriæq. cupiditas oritur, vt Themistius quidam Philosophus tum pernobilis Valenti Augusto asseruisse memoretur,

retur,

retur, trecentas apud Græcos sectas vsque ad eorũ tempora fuisse celebratas: quod vel iam Christiani effecti imitari voluisse videntur. Quisque enim ambitione corruptus est, dum singularis esse laborat, noua fabricari, atque inducere, vt nomen celebrare valeat suum, haudquaquam veretur. Qui verò tales sunt, non veritatem, sed laudem; non salutem, sed gloriam; non virtutem, sed honorem diligere, atque amare manifestum est. Si quis enim discere cupit, quo pacto rectè viuere, Deo obsequi, salutemq. inuenire possit, nequaquam per errores, ambagesq. viarum inextricabiles incedere opus est: sed breuia, recta, plana, expeditaq. itinera & quærenda sunt, & inuenta constanter, summaq. obseruantia retinenda. Et quamuis doctor sanctus vir eruditissimus, & Scotus, ne dum eruditissimus sed optimus, & complures Aristotelem nonnullosq. alios sectari videntur, & hoc quia ferè omnes fimo hoc, ac cœno Philosophorum inquinatos in luto volutari perspiciebant, cumque eos eripere molirentur, ijs inclinari, manus porrigere, atque vel ipsos quodammodo infici opus fuit, quos vel alios iam effecisse olim manifestũ est. Apostolus quondam nonnullis similis plerumque fiebat, vt sibi eos paula-

tim

tim similes redderet. Sic item, si quis rectè D. Thomæ, & Scoti doctrinam consideret, eos potius lusisse quam aliquos insectatos esse facile deprehendere poterit. Quid enim verè ij scire aliquando potuere, qui Deum, qui lumen est mentium, & ignorarunt, et agnoscere contempserunt? contempserunt, inquam, quia sapientiæ ianuam, quæ omnibus patet, intrare, vt supradictum est, noluerunt. Hæc autem ianua timor (vt sacræ asseruerunt literæ) Domini, siue initium, hoc est, ianua quædam est sapientiæ: sed de hoc postea. si autem nosse quis cupit, quanti eos fecerint ueteres, Hieronymum super Ecclesiast. percurrat, qui illud explanans: labor videlicet stultorum affligit eos, ait: Platonem lege, Aristotelis reuolue versutias, Anaxagoram, & alios eiusmodi diligenter discute, & intelliges verum esse quod dicitur: Labor stultorum affligit eos. Basilius inter Græcos eruditißimus, Aristotelis doctrinam spineta, seu dumeta appellare non metuit, quæ scilicet aculeis noceãt, non fructu aliquo seu iuuent, seu reficiant. De virtute eos loqui rectè minimè potuisse, supra paululum innui. Nunc autem eos, nec moralia, nec Physica, nec etiam ea, quæ dicuntur Metaphysica, vel minimum tenuisse, mixtim expli-

explicare conabor. Quo enim pacto ea, quæ ad animi partes, ac potentias pertinent, nosse pure; vereq. potuerunt, qui cum de anima ipsa loquuntur, monstruosa, ac portentifica quædam potius euomuisse, quam aliquid humanum & sensisse, et literis mandasse videãtur? Nam alius eam essentiam, alius numerum se mouentem alius ἐντελέχειαν *alij harmoniam esse aiunt, quidam ideam, alius quinque sensuum exercitium sibi consonum: alij rursus spiritum tenuem per corpus omne dispersum; quidam verò lucem, alius item scintillam stellaris essentiæ, alius rursum concretum communem spiritum, alius spiritum insertũ atomis, alius constare eam de quinta essentia, alius ignem, quidam rursus aerem: alij sanguinem; quidam item ex terra & igne, alius ex terra, & aqua, alius ex igne, & aere, alius rursus ex igne, aere, & spiritu mixtam; aliaq. opinionum prodigiosa miracula plurima asseuerant: quorum quia nulla vera sunt, ideo nulla inter se ratione concordant. Qui essentiam, aut numerum se mouentem animam asserunt, ceu si nullum habeat aliunde initium, & semper fuisse de ea loqui videntur. Ait enim illorum quidam, quod semper mouetur, æternum est; sed anima semper mouetur; nihil*

enim

enim se deserit : ergo &c. aeternitatem animæ tribuit, & eam aeternitatem, quæ vni Deo tantùm tribui potest; quod quidem nefas est vel cogitasse.

Hic autem non ita sentit, licet his verbis parum, quid sit aeternitas, videatur intelligere. Est enim propriè rerum, rationumq. aeternarum necessitas. Et licet aeternitas dicatur interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio: haudquaquam hoc pacto aeternitas, de qua loquimur, habere se potest. Solus autem Deus rationum aeternarum necessitas est. Rem planè miram dicturus sum: quod cum intellectus non nisi aeterna pro suo quisque modulo capiat, quibus alia apprehendit vniuersa; in paucis tamen admirabilem hanc eius dignitatem, maiestatem, obstupendumq. miraculum intueri videntur. Æternitatis definitio.

Inde si quis seipsum norit, maximè ab omnibus, licet pauci id intelligant, & laudatur, & suum esse hoc hominis affirmarunt. sed hæc omittamus. Mihi quidem pergratum foret, si Plato, ac etiam Pythagoras, quorũ de anima vna ferè sententia est, rectè sentirent. Verum opinionibus his omissis omnibus, vnam resumamus, quam Heracliti Pontici esse asserunt: ait enim animam

esse lucem, quod quidem minime falsum est, si eo pacto intelligatur, quo psalmographus sentire videtur, cum ait. Dies diei eructat verbum: diem primum lucem intelligit æternam, quæ diei nostro, hoc est, animo, verbum, hoc est, rationis æternæ lumen eructat. Sed hic diem ideo dicit, quia verbo eructato futurus est dies, id est lux: nam nulla est animi vera lux, nisi ab æterna illi fuerit luce diffusa. Si autem hic lucem per se intelligit animum, grauius quam forsitan alij omnes labitur. Hæc indiscussa iamdudum relinquenda existimo: non enim necesse arbitror ea, quæ à multis confutata sunt, denuo insectari: sunt præterea ita leuia, itaque stolida quæ dicuntur, vt confutatione minime egeant. Mixtim deinceps, vt supra pollicitus sum, de diuinis, humanisq. edisseram.

Cum igitur dicat aliquis alicui, nequaquam te sermonibus vulgi dederis, nec in præmijs humanis spem posueris rerum tuarum, suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus; quis sanus hæc verba non amplectatur? Cum tamen rectè quis consideret, quo Cicero, qui hoc dicit, pacto virtutem accipiat, potius hic ridebit, quam admirabitur. Cum vero Macrobius ait: Summus Deus, nataq. ex eo mens sicut vltra animam, ita

supra

supra naturam sunt, tunc mira planè nostrorũq. similia dicere omnino videtur: eam tamen quamquam ex Deo natam mentem hic asserat, alibi factam dicit, ita vt nullo pacto ei, quod nos verbum ex Deo natum dicimus, similis credi poßit: ait enim, Deus, qui prima causa est, & vocatur, vnus omnium, quæ sunt, quæq. videntur, princeps & origo est.

Hic ex superabundãti maiestatis suæ fœcunditate de se mentẽ creauit. Hæc quæ vocatur mens, patrem inspicit, plenamq. similitudinem seruat auctoris: omnia vero quam extra se creat posteriora quæ creaturè dicuntur. Vult ergo, vt videtur, vt mens causam, anima effectus respiciat. sed cũ mentem creatã asserat, plenã tamen Dei similitudinẽ seruare autumans, sibi inscius contraria se dicere haudquaquam aduertit. Increata enim infinitè creata excedere in omnibus necesse est: ita ut si aliqua, non plena tamen similitudine Deo quid simile esse poßit: quippe qui per infinitum etiam maxima quæque creaturarũ excedit. Alius rursus apprime ab antiquitate laudatus, Deum ingenitum confitetur, ab eoq. mundum conditum asserit: cum tamen animatum, ac proinde animal, cuius membra mundi ipsius partes esse necesse sit, inferatur:

parum superiora tenuisse videtur: non enim verisimile est alicubi tam foede ruentem, alibi stare potuisse. Propriæ hæ Philosophorum ruinæ sunt omniũ; inter alia verò conditorem materia indiguisse in rerum conditione ferè omnes affirmant: non enim intelligere potuerunt, quo ex nihilo pacto quid fieri possit: qua assertione propria supremum infinitum, æternumq. illud numen maiestate, potestateq. exspoliant, qua quæstione, vt se Aristoteles explicaret, semper fuisse mundum autumat. Nec mirum per hæc eos præcipitia assiduò ruere, assiduò labi: illos enim oculos sibi apertos esse non ambigunt, quos aperiendos vafer coluber primis hominibus olim spoponderat. Ambulant enim profectò in tenebris tam magna caligine obruti, vt parum in tenebris se esse dignoscant. Si qui tamen fuere, qui has nouerint tenebras, non ita tamen norunt, vt agnosci necesse est. Socrates nihil scire se asserebat, nisi quod nihil sciret. Cur tamen veri agnoscendi cupiditate vehementissime raperetur, parum videbat, illudq. veritatis perspiciendæ studium in eo sic flagrare non posse haudquaquam cernebat, nisi aliqua saltem confusa veritatis agnitio præcessisset, quæ quia in alto abdita est, & ab homine erui penitus nequit, a Deo,

qui

qui ipsa veritas est, petenda est, iuxta illud quod sacræ literæ asseruerunt: aiunt siquidem, quisquis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: omne enim datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum. Iacobi. 1.

Quod si Plato sapientiam donum Dei, et non deorum dixisset, hoc tenuisse forsitan credi posset. Cicero autem in duobus delinquit, cum ferè idem dicere videatur. nam non donum, sed inuentum deorum esse ait sapientiam, quasi non ipse ediderit, sed eam ab alio extra se inuenerit.

Sed ad Socratem reuertamur, qui cum se diceret nihil scire, non solum extrema sequutus est, sed se hominem esse abnegasse visus est. Alius autem, qui in quibusdam haud sanè arrogans credi potuerit, in hoc hominum limites excedere visus est: nam cum esset iuuenis, nihil scire; vbi verò senuerit, nihil se ignorare iactabat: nec mirum, ex se enim nullo præceptore non solum naturæ, sed & naturam ipsam excedentia arcana quæsierat. Cum autem nihil se scire Socrates asseuerat, non solum hominem, vt aiebam, se negauit; sed lapidibus, ac belluis similiorem se esse, vt videtur, innuere uoluit; quædam enim nos scire probare facilè pos-

Psal. 4. *lè possumus; signatum est enim teste Dauide, super nos lumen vultus summi Dei, quo Deũ quod necesse est, ad benè beatèq. viuendum agnoscimus: quo rationes æternas tenemus, quo diuidimus, atque componimus; quo rursus de animarum immortalitate, de ipsius Dei iustitia, bonitate, & alijs huiusmodi dubitare non possumus: quæ nisi rectè teneantur, & verum Dei cultum, & ipsius veritatis studium vna dilabi, diffluereq. necesse est. Quo fiet, vt finem illum attingere nequeamus, quem vel Plato ipse ponere non veretur: qui ait virtutis finem esse Deo similem effici, cuius si alia concordarent, rectè eum sensisse affirmare non dubitarem. Nam hoc ipsum, vel nostri in sacris passim literis pluries attestantur: ait*
1.Ioan. 3. *enim D. Io. Theologorũ Maximus: videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus: et nõ dum apparuit, quid erimus: scimus autem, quod cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Omnia sanè præmia alia, quæ virtuti à quamplurimis assignari consueuere, his composita non solùm inania sunt, sed noxia. suum quidem veræ virtutis præmium est hominem Dei filium, seu Deo similem, seu etiam Deum effici. Quod si Pla-*

to,

to, rectè id sentit, auidè, totoq. hanc eius sententiam pectore amplecti non metuam.

Vereor tamen, ne cui eorum deorum, quos ipse ponit, similem fieri dicat. Primum enim, secundum, ac tertium Deum somniare videtur: mentem videlicet ex Deo natam; immo, vt asserit, creatam, mundiq. animã, quæ nihil penitus sunt; deos item appellat corpora cælestia omnia, quos natura quidẽ corruptibiles, Dei tamen volũtate immortales futuros effinxit. Hermes rursus, magnũ miraculum, inquit, est homo animal adorandum, atque honorandũ: id enim in naturam Dei transit, quasi ipse sit Deus: humanæ verò naturæ partem in se ipse despicit, alterius partis diuinitate confisus. hæc planè magna, si à bonis principijs deriuentur: horum tamen doctrina tanto veneno passim respergitur, vt laquei, insidiæq. vbique, & & metuendæ sint, & cauendæ. Eorum siquidem sermo tam multa solet inuoluere, vt quò vestigia figenda sint, haud satis intelligas. Cum enim Deũ hinc sciant, ad quem referenda virtutis facinora sunt vniuersa; quo pacto de virtute, actibusq. humanis loqui valeant, haud satis constat.

Actus enim, qui dicuntur virtutum, quomodo aptari possint ignoto aut parum explorato fini, parum

rum equidem teneo; cum tales illos esse oporteat, quales nos ad veram Sapientiam consequendam esse necesse est: si enim vultis Deo similes fieri, hoc sanè quod magnum quid esse apparet, virtutum ope consequi oportet. Quin ad Dei similitudinem accedi non potest, nisi sicut Deus sit qui accedit: at sicuti Deus nemo esse valet, nisi Dei munere, & gratia prouectus: nullus ergo homo per se finem attingere verum potest; immo ad Deum sine Deo ascendere nullo modo quis valet: oportet igitur, vt eius gratia euecti, ei coniungamur, ab ipso foueamur, in ipso persistamus, ex eoq. denuo gignamur. Primo itaque videndum, ne circa finis cognitionem, aut erremus, aut certè fallamur: cum ipsemet & via sit, & finis: Est enim via, veritas, & vita: hac sanè via ad veritatem, & vitam, qui finis est, sola peruenire quis potest. Cauendum igitur ne humanis cum viribus, tum conatibus eò accedere nos posse putemus, vt Philosophos putasse manifestum est. quippe qui in duobus maximè deliquisse visi sunt: quorum cardine tota humanæ virtutis moles seu machina vertitur, in cognoscendo videlicet Deum, atque definiendo virtutem, qua ad Deum ipsum acceditur: non enim aut illum agnouerunt, aut hanc rectè

Sine diuino auxilio mouente, excitante, & cooperante nihil possumus.

Ioan. 14.

Humanis viribus nequit quis ad Deum accedere.

definie-

definierunt. Ille enim vnus, & trinus: hæc sine Deo omnino nihil: ipse sua bonitas, magnitudo, potestas: hæc Deus seu tale quid Dei munus, vt sine ipso Deo eius in nobis verus habitus esse non possit. Ipse huius virtutis moderator, atque prouector, ipse ordo, ipse decus, ipse ratio, idæa, atque exemplar, cuius virtus ipse suapte natura in animo, qui vitiorum sordes, pondus, tenebrasq. euaserit, semper intendit, atque suspirat.

Verum curiosus aliquis posset in medium afferre, quod multi plurima non aliena à nostris multoties, & senserint, & scripta relinquerint: Ait sanè Hermes, cæli, atque ipsius animæ, & omnium, quæ mundo insunt, ipse gubernator est, qui est effector Deus. quibus verbis prouidentiam, moderationem, ac etiam conditionem rerum vni Deo tribuit omnium. Ipse etiam Deo plenum esse asserit cælum: quod si parum dixisse is videtur, vel vates hæc eadem, vel etiam ampliora sensisse manifestum, cum ait: Iouis omnia plena: Iouem siquidem Deum conditorem, rectoremq. intelligit omnium. Ait enim cælum, terras, camposq. liquentes, lucentemq. globum lunæ, errantiaq. astra spiritum intus alere, mentemq. magnos diffusã per apretos agitare molem, magnoq. Hermetis positio de Deo.

F *etiam*

etiam corpori se misceri, iamq. esse hominum, pecudumq. genus, vitasq. volantum, et alia quamplurima. Quibus dicendũ quod superiora haudquaquam, si sibi non dissentiant, omnino comprobãda: sed quũ multa quæ his repugnare videntur, idem Hermes loquatur, à nostræ puritate sapiẽtiæ dissentire hominẽ vereor: nam cum dicat, Deum esse omnia, partesq. vniuersi membra ipsius autumat; quid dicam haud satis teneo. Cum rursus dicat hominem non solum inuenisse diuinam naturam, sed etiam effecisse, non modo desipere, sed & iamdudum insanire videtur. Cum autem dicat, cælum Deo plenum, terram cur relinquat, haudquaquam intelligo: metuit forsan ne paludum limo, seu clocarum fimo, cænoq. hiberno, ac sordibus inquinetur. Cum Deus siquidem in immundis mundus est vbique essentia, tamen non circumscriptus, sed circumscribens; implet omnia non coarctatus: est intra omnia non inclusus; extra omnia non exclusus: In tempore æternitas, in motu quies, in loco vt continens, & alia id genus: In sacris literis ipsemet loquitur dicens: cælum, et terram ego impleo: cælo autem esse altior, terra amplior, mari latior, inferno profundior dictus: quinetiam dicitur esse latitudo, longitudo, sublimitas,

Refellitur Hermetis opinio.

Deus in immundis etiam mũdus.

Nota de Deo Opt. Max.

mitas, & profundum. Dicitur rursus attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponere omnia suauiter: Omnia autem in pondere, mensura, & numero patrasse, lucemq. habitare inaccessam asseritur; & plura eiusmodi: quæ licet mysticis velaminibus obtecta sint; lux tamen veritatis mirum per hæc in modum puris mentium sanctarum oculis innotescit. Cum vero dicatur eius omnia plena, nequaquam nomen execrandum in hoc me mouet, sensum intueor, vereorq. hæc vel mundi animæ, vel menti quam à Deo factam asserũt, non adscribant; quod vltimum positum est, cum & corpus, & artus nominentur: de ea quam ipsi animam mundi: quam, & formarum, & specierum plenam asseuerant, dici manifestum. quæ omnia ne dum falsa sunt, sed ita noxia, itaque mortifera, vt vix cogitare quis ea valeat, quin aliquo pacto eorum rubigine polluatur. Sed adhuc quis asserere posset, quod Plato, seu Epiphanius ait, intelligibile id esse, cui nihil vel accedit vmquam, vel decedit. Hæc autem sempiternorum natura est, quam vnam, atque eandem semper esse contingit. Quid hoc potest dici verius? quid sapientius? sed quid sic se habet nisi Deus? qui est lumen mentis, quo videmus, quæ mente, & ani-

mo videntur omnia. Nam intellectus non nisi æterna aut capit, aut capere potest: sed nihil æternum nisi Deus: non igitur aliud quam Deus videt intellectus. sed num rerũ rationes omnes Deũ sunt? Si æternæ sunt, Deum esse necesse est: nam aut nihil est quod intellectu capitur, quod vel suspicari perabsurdum est: aut Deus: rationes hæ æternæ, aut subsistunt, aut non: si subsistunt, Deus: sin autem, nihil omnino.

Dubitatur.

Et licet à singulis ab ijs assertis abhorream, ac offendicula seu laqueos in illis subesse metuam: attamen ne omnia ex instituto negare me quis arbitretur, haudquaquam penitus contradico: Intelligibile tamen alio definiri pacto mihi cupiebam. Nam si huic nec accedere potest quid, nec decedere, et vnum atque idem est semper: quid huiusmodi est, aut subsistit nisi Deus? Non desunt asserentes, esse quædam, quæ sunt in intellectu tantum, non autem in se subsistunt: alia, quæ & subsistunt in se, & intellectu insuper capiuntur.

Errorum aliquorũ.

Ergo intellectus capit non subsistentia, quod stultum est affirmare: immo hæc expeditissima via est ad agnoscendam diuinitatem, quinimmo agnosci nullo modo potest, sine harum inspectione rationum, quæ quidem æternitatis effulgent gloria. quo

fit

sit vt nec tempori, nec loco, nec etiam motui subijci possint: sed de his aliàs: nequaquam enim mihi consuetudo est, verbis certare, vt illa aperiam, quæ melius, atque honestius occuluntur, quam explicãtur. Non enim fas est omnia omnibus detegi.

Inde ait ex nostris quidam; Secretum meum mihi, secretum meum mihi: Præceptor autem veritatis sanctum dare canibus, & margaritas porcis apponi vetat, & causam cur vetet subnectit, vt supra perstrinximus. Vetustissimorum consuetudo Philosophorum fuit, cælestia, mentesq. hominum excedentia ænigmatibus tegere, ne si communia facta fuissent, ab ijs qui ea capere nequirent, et corrumperentur quodammodo, & riderentur. Iam nostrorum eruditissimi ea, quæ sacris his tecta sunt velaminibus, sic vulgo aperiunt, vt semper aliqua, quibus intima occulantur integumenta relinquant. Hinc factum, vt huius ætatis nostræ, aut paulò superioris plerique Theologi, non sapientiæ, sed verborum armis, ac viribus, accingantur: quia vero ex suo numquam sapientiæ fonte aut hauserunt, aut gustauerunt; fit vt solis verborum certaminibus instent, nescientes, mysterium veritatis in silentio possideri: Nulli autem, loquacibus & garrulis mortalibus his minus Isa. 24.

sapien-

sapientes, minusq. veritatis amici. Vnde nec ille desipuisse visus, qui ait, haud multa verba loqui prudentis indicium est: vnum igitur, quod sapiens diuina: Vnum quid praclarum elige, ac soluas loquacium innumeros sermones virorum. At modo non veritas in disputatione, sed victoria quaritur. Verum vt memoria proditum est in Concilio Nicano, iuuenis quidam Christianus plerisque more istorũ rapide disputantibus, contentioneque, & captiosis verborum insidijs vincere aduersarios annitentibus: silete, obsecro, inquit, nequaquam hac via est, qua hostes deijci valeant: Christum sequimini, qui non Dialecticam nos docuit, sed charitatem, humilitatem, sapientiam, & alia id genus: quibus victus iamdudum vniuersus est orbis, & ad Christum conuersus: quibus, & haretici vincendi sunt. Quibus verbis moti omnes, deinceps se quietius habuere. Cum rursus ibidem quidam verborum magnificẽtia, ac turbine exultaret, sacerdotibusq. per contemptum illuderet: senex quidam simplex atque innocens, confessorumq. insuper probatissimus, rei indignitate commotus non tulit insolentiam, sed impudentia, temeritatiq. occurrens, hominem adijt, versutias verborum, ac diuerticula infracturus.

Viri prudentis est pauca loqui.

Notatu digna.

Hoc

Hoc animaduertentes quidam, verbis, ac syllogismis tamquam veritati nixi, hominē irridere cœperunt: Alij, quibus esset mens sanior, tristes secum vna vereri, ne à verborum artifice luderentur. Cessere tamen ei, cum talis esset, resistere metuentes. Tum ille: in nomine, inquit, Iesu Christi Philosophe, audi dogmata veritatis. Vnus est Deus, cæli, terræ, omniumque visibilium, inuisibiliumq. creator, qui hæc omnia verbi sui virtute patrauit, spiritusq. sui firmauit sanctitate. Hoc itaque verbum nos filium nominamus, qui ob suam misericordiam, vt homines ab errore, feraliq. ritu, ac vanis superstitionibus liberaret, ex muliere nasci, cumq. hominibus conuersari, ac pro eis mori dignatus est: Tertia verò die resurrexit, venturusq. iterum iudicare facinora hominum singulorum. Hæc ita se habere, sine indagatione & credimus, & fatemur. Noli igitur inaniter laborare, quærens destruere, quæ Deo ipso duce, ac magistro fide sincera percepimus: nec perscruteris modū, quo fieri hæc, aut nō fieri potuerunt. Si autē credis, cōsulenti mihi ad ista iamdudū respōde. Tunc vero obstupefactus Philosophus: credo, inquit, gratiasque, quod dignis esset rationibus superatus, egit: eadēq. senior deinde sectatus est.

Hæc

Hæc loquutus sum, ut intelligas veritatem non verbis, sed veris rationibus; ac etiam fide, quam Philosophi ignorauere, illustrari. Inde rectè Palæmon Philosophus ait non in dialecticis disputationibus, sed rebus, ac moribus viros exerceri par est. Indeq. viros appellari dignos, ne dum verbis intenti sint, verum obliti sibimet repugnare, contriosq. esse contingat. Seneca rursus hæc ridet, atque illudit, vocatq. ea pueriles ineptias. In hoc etiam, inquit, supercilia subduximus, in hoc barbam demisimus, hoc est, quod tristes docemus, & pallidi. Cum autem de Stoicis Dialecticisq. loquatur, ait: ij tristius inepti, & agere seipsos aliquid existimant: nec nego aspicienda esse hæc, sed prospicienda tantum, et à limine salutanda, in hoc unum ne verba nobis dentur, aut aliquid inesse illis magni, ac secreti boni iudicemus.

Palæmon.

Seneca.

Dialectica quanti & quare debeat disci.

Quid te ergo torques, et maceras in ea quæstione, quam subtilius est contempsisse quam soluere? & alibi ad Lucillium. Erige te Lucilli virorum optime, & relinque istum Philosophorum literarium ludum, qui rem magnificentissimam ad syllabas vocant, qui animum multa docendo dimittunt & conterunt. Itaque agunt, vt Philosophia potius difficilis, quam magna videatur. Philosophi,

phi, autem ait idem, inueniſſent forſitan neceſſaria, niſi & ſuperuacua quæſiuiſſent. Multum illis temporis verborum cauillatio, & deceptio eripuit: captioſæ etiam diſputationes, quæ acumen irritum faciunt. Tantum nobis vacat iam viuere, iam mori ſcimus. Tota illò mente pergendum eſt, vbi prouideri debet, ne res non verba decipiant. et alibi: ſophiſmata nec ignoranti nocent, nec ſcientem iuuant. Gellius hoc Philoſophiæ improbans genus, ait; Plato contra Philoſophiam accerrimè loqui in Gorgia videtur; ſed non de illa Philoſophia loquitur, quæ virtutum omnium diſciplina eſt, quæ in publicis ſimul & priuatis officijs excellit, ciuitatesq. & Rempub. ſi nihil prohibeat, conſtanter, & fortiter, & peritè adminiſtrat; ſed de iſta futili, atque puerili meditatione argutiarum, nihil ad vitam, neque tuendam, neque ordinandam promouente, qua id genus homines conſeneſcunt, in alia feriantur, quos tamen Philoſophos eſſe & vulgus putat, & is putabat, ex cuius perſona dicta hæc ſunt. Gellius.

Verum vt unde diſceſſerat ſermo reuertatur, dicendum, virtutem aut nullam eſſe, aut ſine Deo quid eſſe non poſſe: quin forma mentis numinis vis quædam eſt, quæ affecta ſit habitus, quo ſecun-

dum virtutem operari quid possumus: nam sine
Luc. 11. *eo, vt supradictum est nihil fieri potest: qui enim cum ipso non est contra ipsum esse: quique cũ eo non colligit, spargere dicitur. Ipse enim non solum virtus nostra est, sed & vita, qua verè viuimus. Hæc in sacris literis paßim leguntur. Radius enim æterni Solis animis infusus piorum iustitia, iustitia inquam qua Deo hominibusq. æqua & vtrosq. decentia solicitè impendere, aut certè reddere non cessamus. Hanc æqualitatem ipsius iustitiæ exemplari, æternaq. ratione ipsum prorsus numen nos docet. Huius autem scientia nos in ipso itinere sedentes etiam fouet, atque illustrat: quod si hoc eam pacto is accipit, non solum quæ ait admitto, sed admiror: timeo tamen laqueos, verborumq fallacias. Iam profectò me tædet horum ineptias, licet quædam grauia ijs excidisse interdum videantur, vltra reuoluere. Quia tamen arbitror lectorem, quò ipse cogitatione tendam, iam nosse, quædam percurram alia: non enim digna sunt hæc, in quibus sanus quis immoretur.*
Antisthenes. *Etiam Antisthenes virtutem ad beatam vitam sufficere asserit, quã si absque nominis fotu in quopiam esse posse existimat, hoc nihil ferè dici potest iniquius.*
Varro. *Varro vir, vt quidam affirmant, etiam*
Gra-

Græcorum eruditissimus, summum hominis bonum, quo scilicet fit beatus, ex vtrisque bonis (vt August. in lib. de Ciuitate Dei ait) constare testatur, animæ videlicet, & corporis, ac per hoc primam illam naturam propter se expetendam: quæ quia haudquaquam digna viro est sententia, indiscussam relinquere visum est. Zenonem Stoicũ miror, qui cum dicat finem hominis esse consentaneè secundum naturam, hoc est, secundum virtutem viuere, alibi tamquam seipsum corrigens, ait. Sapientes, in quibus virtutis vim omnem, ac rationem esse necesse est, diuinos esse, quod in seipsis quasi habeant Deum: impios autem esse sine Deo; pios vero, ac religiosos solos esse sapientes. & ne dubites quo pacto pios appellat, vnum etiam tantum Deum esse fatetur, quem colere æquum sit, quem mentem, fatum, Iouem, alij'sq. permultis appellat nominibus, quæ placerent omnia, nisi superiora mihi suspectum hominem reddidissent. Sed quid multa? de virtute vt dictum est, rectè loqui nullus omnino potest, nisi Deo duce præceptoreq. instructus.

D.Aug. de ciuit. Dei

Zenon.

Vera enim virtus, diuinitatis, humanitatisq. in vnũ confluente robore gignitur, coalescit, atque perficitur. Hæc vna in cælum, immo etiam in

Nota de virtute.

ipsum numen animos euehit; huius ab homine celsitudo attingi non potest: recondita enim, atque inter sidera abdita à viris tantum, qui à virtute dicti sunt, & cernitur, & tenetur: hanc sapientia peperit, charitas aluit; vnus verò prouehit, complet, ac perficit Deus: huius est amor sanctus, studium optimum, opus omne facinusq. illustre: hæc amplectitur vera, sectatur pia, colit æterna, hæc in paruis magna, in egenis diues, in tristibus læta, in amaris dulcis, in tenebris clara, in seruitute libera, in imis excelsa, in morte viuens: hac se ipsa maior, se ipsam despicit sæpe atque miratur: hac præditus semetipsum vnusquisque agnoscit, veneratur simul atque contemnit. Veneratur siquidem Dei templum, despicit hominem: Deo in ipsa virtute bona, sibi verò mala tribuit vniuersa. Per eam Dei bonitatem, ac dignitatem, hominisq. æque imbecillitatem inopiamq. dignoscimus: hac præditus Philosophorum vanitatem, ac præsumptionem solus intelligit, qui rem diuinam, numenq. ipsum propria fragilitate dimetiri, sibiq. conferre non pertimescũt: si quis enim sine numine virtutis opera procedere posse putat, nec numen colit, nec uirtutẽ ipsã agnoscit. Sciant enim omnes, nihil esse in humana vita admirandum, aut omnino

Vir à virtute dictus est.

Virtutis affectiones.

nino

nino bonum, quod hic finem quandoq. sit habiturum: quoniam non progenitorum claritatem, non corporis robur, aut pulchritudinem, aut magnitudinem, non honorem, non regnum ipsum, non denique quæcumque quis dixerit humanarũ rerum, magna, nec voto quidem digna iudicamus: aut ea poßidentes aliquo modo admiramur: quoniam magna fuit Persei Regis Macedonum potentia: sed quis miserior eo? & ita percurrenti historias patere poterit: illa enim bona dici nequeũt, quæ numquam consistunt, transferuntur ex libidine fortunæ, aut hominum arbitrio: illud enim summum bonũm putandum, quod semper eodem modo se habet, quodq. fortunæ procellis impelli huc, & illuc non potest. Hoc certè in sola virtute tamquam in munitißima arce repositum est; quæ quidem, vt Zenoni, Cleanti, Chrysippo placet, beatos facere potest: miser enim esse ille nusquam potest, qui virtute munitus reperitur. Est hæc virtus animi institutio ita constans, & conueniens, vt laudabiles eos faciat, qui rem tam diuinam amplexi fuerint.

Bona quæ fortunæ subiacēt, non sunt bona.

Summum bonum quodnam.

Virtus quid.

Miseri planè mortales qui virtutis bonum nec norunt, neç assequi moliuntur. Vna sanè virtus (Deo duce) hominem suis, ac proprijs hono-

ribus,

ribus, gloria, dignitateq. & euehit, & illustrat. Hæc multos planè habet laudatores, sectatores vero aut paucos, aut forsitan nullos. Multi siquidem hanc verbis extollunt: qui si eam optimè norint, laudasse eam postremò puderet; humanas siquidem eius maiestas laudes exuperat vniuersas: hanc aspernati mortales, cæno, ac sordibus, vt sues consueuere, vitiorum turpiter volutantur. Hac vrbibus expulsa, quin etiam toto ferè orbe fugata, homines suo cōsortio destitutos, et ceu in belluas versos, alterum alterum insectari, vorare, atque absumere; ex eo, vbi exulat, cælo tristis, plenaq. mœstitia, & amaritudine mundum contuetur. Videt siquidem sua vi destitutos mortales, furijs vbique agi tartareis, erebi monstris omnibus prædæ direptioniq. exponi. Videt se ab ijs amota, vniuersa peruerti, humana, diuinaq. vbique misceri, atque confundi, sapientiam, stultitiam, virtutes, vitia, bona, mala, honeste turpia nominari. In contrarium vero omnia accipi; auaritia, superbia, ambitione, libidine, atque inuidentia cuncta subrui, vt vix credibile sit tantam mortalibus inscitiam, tantam amentiam, tot furoris aculeos, seu stimulos insedisse. Quò igitur quæso, miseri ruitis, qua spe, quaque formidine insanitis? quæ ijs furijs proposita

posita præmia? quæ tanta rabie digna bona vobis statuta sunt? Vna est in cunctis virtus, Deo duce sufficiens; hanc adamate, hanc colite, huic vni incumbite: in huius cultum studia hæc inania vniuersa conuertite, huius beatitudo vera, felicitas æterna, lux autem immensa est: & est aliquis stolidus, vt putet sine numine rem tantam posse constare? hanc vt orbi redderet Deus, humanitate vestitus in ima descendit, eamq. hominibus commendauit, vtq. eam dignè venerari et consectari valerent, suam opem ijs auxiliumq spopondit. Plurimi vero eius tum præsentia suasionibusq. permoti eam admodum & amauerunt, & coluerunt. Nunc vero iterum abuolasse visa, cuius abscessu ita orbis vniuersus confundi, ac misceri tam cœpit, vt ferre se vltra non posse videatur.

Finis primi Libri.



F. PRO-

F. PROPERTII RESTAE DE TALLEACOTIO EPISCOPI GERVNTINENSIS ET CARRIATENSIS.

DE FALSA ET VERA SAPIENTIA.

Liber Secundus.

QVANTI roboris, et valoris esset Philosophorum gentilium doctrina, superiore libro vt res tulit perstrinximus: sed vt exactius res habeatur, ne ambiguus, pius & curiosus lector reddatur, paulò altius de illa dicemus. Dicet curiosus pro Philosophis.

Principio ij Deum asserunt conditorem, rectoremq. omnium, cunctipotentem, infinitum, immensum, mentemq. esse autumant absolutam, omnia permeantem, omnia cernentem; ipsum esse fatum, rerumq. necessitatem, quodq. non solum æternus sit, sed sua æternitas, cui bonitas, sapientia, magnitudo, potestas pulchritudo, sanctitasq. essentiales sunt vniuersæ. Ad hoc filium genitum

asserit Plato causarum causam omnium, actum purum, lumen luminum, immobilem actum, vniuersa mouentem, qui est in tempore (vt supra diximus) æternitas, in motu quies; in loco continens; intra omnia; extra omnia: est esse omnium, licet vt causa: alio tamen modo ita vt supercausale forsitan potius dicendus sit. Est, vt ex ijs colligitur, vnus, indiuisibilis, incommutabilis, inuariabilis, principium sine principio, finis sine fine. Est omnino simplex, est in omnibus vnum, in vno omnia, & alia huiusmodi innumera: quæ omnia dicta esse à Philosophis, & maxime à Platonicis, colligi possunt. Hæc ab Augustino sentiri in lib. D.Aug. *conf. 7. cuncta si legas, reperies. In libris enim Platonicorum ea ferè omnia, quæ de Deo à Ioan. dicuntur, ad filij humanitatem non pertinentia, se inuenisse testatur.*

Quid ergo tanto horum odio rapi te sinis, vt tam acriter eos & insequaris, & aspерneris? In libro rursus, qui de vera religione inscribitur, ait idem, cum quanta nostris similitudine conueniant Platonici, velit ostendere: quod ij paucis mutatis Christiani fierent: hos rursus in pluribus laudare locis agnoscitur. Quid ergo ad hæc respondes? quid dicis? Lactantius etiam admodum

hos & insectatur, & odit. Sed Augustino magis credendum esse haudquaquam dubitare te arbitror. Respondendum arbitror, & ita est, quod si eo pacto vera, vt asserunt, tenuere, etiam nostros eos quodammodo appellabo, & revereri, ac etiam laudare non pertimescam. Puto tamen Augustinum in extremo uitæ alio de his pacto fuisse loquuturum. In literæ superficie quadam cum nostris est eis similitudo, cuius occasione Augustinus ad Christi facilius dogma incredulos pertrahebat, quam si ea, quæ affirmari quodammodo poterant, negauisset. Nam constat quod plura, si non alijs ab ijs dictis comparentur, sed nuda, & ab alijs eorum sententijs intercisa accipiantur, vera dixisse videantur: quibus vsus est Augustinus, vt olim Paulus Apostolus, qui cum Athenis titulũ quendam ignoto Deo scriptum animaduerterat, eum esse ait, quem ille ijs prædicabat.

Etsi dicat D. Ambrosius, Platonis doctrinam admirans, se putare eum, cum in Aegypto aliquamdiu moraretur, Prophetas aliquot ex nostris audiuisse (multa enim ab eo dicta legerat, quæ nostris ad vnguem concordare videbantur) dicendum quod termini aliqui sunt ijdem, quod ad hoc suspicandum Ambrosium forsitan mouit:

nequa-

nequaquam tamen existimes Ambrosium tam pure dicta intellexisse, quàm nos intelligimus putauisse: si tamen hos ita diligis, vt vera sensisse eos affirmare non ambigas; audi rursus quid vel ipse sentiam. Equidem plus miror falsa eos exercuisse, quam si vera sentirent. Lumen enim mentibus à numine humanis infusum, eius planè natura est, vt eos eò conuertat, vnde ipsum ante descendit. Ad hoc enim è cælo pectora illabitur hominum, vt ipsos in cælum homines efferat. Nec vt in principio diximus, à veritate aberrare homines contigisset, si puro, sinceroq. affectu mouentem eos, excitantemq. æterni Solis radium sequuti fuissent. Præsto est enim omnibus Deus, nihilq. omittit, quibus horum voluntas, quam quidem liberam esse voluit, ad se allicere, & attrahere valeat: sed sibimet non Deo (vt ait Apostolus) quod maxime decebat, gloriam dare voluere: ceterum, vt idem ait, euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt: superbiæ enim veneno infecti, non Deum, sed proprium loqui consilium statuere: quo factum est, vt cælesti lumine amisso, in tenebris vagari cœperint. Inde de his in sacris literis dicitur: per diem incurrent tenebras, &

Luminis diuini natura.

Rom. 1.

quasi in nocte sic palpabunt in meridie. Radium enim cælo defusum aspernati, non Deum ducem, atque magistrum, sed sua potius inuenta opinataq. sequi maluerunt, quorum ruinis ac lapsibus volens bonus Deus manus subijcere, primo legem per Moysem tulit; deinde sapientes, prophetasque, & alios permultos mortalibus, ad reparandum omissum lumen, diuersis temporibus destinauit: quia vero pauci cæleste id munus acceperunt; ipsemet denique venit, vt ignem extinctum exsuscitaret, & in terram demitteret. Hæc autem manifeste, perspicueq. omnibus operatus est; intrinsecus vero semper, & vbique eadem operatur. Inde dictum: lux in tenebris lucet, & ego sum lux mundi, ita vt nullus iure conqueri valeat, nullus verè dicere, viam ignoraui veritatis, numquam lumen accepi: hoc autem extrinsecus effulgente lumine multos euigilasse olim compertũ est. Nam si Deum nõ timuissent, nequaquam ad Ionæ comminationes Niniuitæ olim conuersi fuissent, nequaquam ieiunassent, & in sacco, ac cinere malefactorum pœnitentiam egissent. Multos olim gentiliũ ad Dei templum orationis gratia in Hierusalem accedere pluries solitos olim accepimus. Regina vero Saba, quæ fama excitata Salomonis,

Ioan. 1.
Ioan. 8.

nis, à finibus terræ ipsius expertura sapientiam uenisse traditur: sic dum viueret, nullo nisi Deo ipso intrinsecus eam docente, diuinitatem et coluisse, et dilexisse visa est, vt Iesus Dei filius illam Iudæos iudicaturam, condemnaturamq. in die iudicij affirmaret. Niniuitas similiter his multum admodum præferre videtur. Cyrum insuper Persarum Regem seruum suum Deus appellat. Persarum autem nonnullos Reges numen verum & nouisse, & coluisse sacris literis testibus olim nouimus. Angelos item, & ipsorum Persarum, & Græcorum Principes docuisse, ex Danielis scriptura certissimè constat, quibus eorum custodia à summo numine commissa fuisse deprehenditur: quæ nequaquam facta fuissent, si ipsorum curam Rex ille Regum, & dominus neglexisset. Iob autem, vt vel supra perstrinximus, amicosq. illius, Deum verum, ac singularem agnouisse, timuisse, coluisseq. manifestum est. quibus exemplis manifestè colligitur, Dei singularis notitiam per terras vbique fere fuisse dispersam. Non itaque mirum, si qui Philosophorum horum, de quibus loquuti sumus, similes ijs inuenti quandoque fuissent: eorũ tamen doctrina veneno passim respersa vehementer me terret. In suis enim cogitationibus, vt idem

ait

ait Apostolus, sic euanuisse mihi videri solent, vt ob summam denique suimet confidentiam, arrogantiamque, bona, puraq. initia corripuisse, ac deprauasse denique videantur. Indignatur itaque summum illud numen, homunculos sibi resistere non vereri. indignatur vero iure optimo, quod insinuatæ luci non cedant: satisfactum autem ijs esse minime ambigendum, cum Deus ipse non solum rerum creatarum multitudinem, pulchritudinem, ordinem, plenitudinem, durationem, operationem, & alia id genus ante oculos ijs posuerit: sed intus arcani infusione luminis semper & doceat, et hortetur: quæ omnia cum ipsi contēpserint, in paßionem desiderij ignominiæ, ac denique in reprobum sensum deturbari eos oportuit, repletos, vt idem adijcit, omni malitia, nequitia vniuersisq. denique facinoribus deprauatos: hinc primæ eorum ruinæ: hinc malorum propriè causæ, hinc ignorantiæ tenebræ: hinc superbiæ fumus omnis erupit. Initium siquidem superbiæ est, vt sapiens quidam scribit, à Deo recedere, quod hi fecisse visi sunt: qui Deo relicto, sua ac propria consilia sequi nequaquam timuerunt. De his, psalmo primo, scriptum est, quod prius in consilium abierint impiorum; in via deinde peccatorum steterint,

Initiū superbiæ est à Deo recedere.

atque

atque in cathedra denique ſederint deriſorum, quos ibi deſcribere voluiſſe videtur: vbi eos tamquam puluerem eſſe, quem ventus à facie terræ proijcit, aſſeuerat. Cum igitur Philoſophos tales eſſe omnes ferè conſpiciam, licet vera ſentire aliquando videãtur, haudquaquam eos intellexiſſe, ſed caſu parũ intellecta eos dixiſſe potius arbitror.

Nam tam magna eſt in his ſententiarum diuerſitas: immo tanta vel in vno illorum opinionum, ſenſuumq. inuicem ſe conficientium deſtruentiumq. proluuies, vt quid ipſi teneant percipere vix poßis. Nec mirum, cum enim ſemel à vero aberrauerint. aut per ambages, ceu vento raptos trahi, aut per præcipitia ruere neceſſe fuit: ſi qui tamen fuerunt ijs meliores, eos, vt ante præfatus ſum, tecum & veneror, & amplector. vnum tamen ſcio, quod ſi ipſe teneas, quibus ſit opus, vt cuiuſpiam doctrina ſana ſit atque incorrupta, nequaquam vltra pro his laborabis, neque eos amplius defendere perges. Nam eorum cum verborum illecebræ, cum probationum oſtentatio plerosq. vbique decipiunt. Inde fit, vt virus molle oblitum plerique haudquaquam animaduertant.

Quendam equidem noui, qui cum anulum, quem manibus tenebat, amiſiſſe putaret, totam

domum

domum euertit, omnes angulos perscrutatus, omnes murorum fissuras, pauimentorumq. foramina rimatus est, antequam eum in manu sibi esse animaduerteret: quod cum demum vidisset, ob amentiam, ac socordiam, qua illusus fuerat, vehementer doluit, se acriter increpans, atque irridens, quod ante multa suspicaretur, nonnullos etiã incusasset, quos eum furatos esse conijciebat. Hoc contingere quibusdam uidetur, qui veritatem, quæ in manibus est, quæq. Sole clarior, quã vltro cuiq. se ostendit, in tenebris eam atque in cuniculis perscrutantur. sed vt ait quidam ex nostris; facilis est ad percipiendum sapientia, qua veritas & rectè quæritur, & plenè tenetur: quin vltro ijs, qui diligunt eam, sese ostendit, animis infundit, atque cõmunicat: hi ergo soli eam numquam inueniunt, qui nec dilexerunt, nec diligunt eam vmquam: anxie autem quærunt, qui non vt habeant, sed vt vendant, ac fœnerentur, consectantur. Qui non vt sint sed videantur sapientes, onera cum literarum tum linguarum ediscendarum subeunt, tam grauia, tam molesta, vt miserandis plerique modis & succumbant, & obruantur; sed quisquis sapiens esse laborat, humilis fiat: ait enim Salomon: vbi humilitas ibi sapientia.

Prouerb. 11.

Hinc

Hinc quorundam misereor nostri temporis iuuenum, qui ijs vijs sapientes fieri contendunt, quibus si petita succedant, desipere necesse sit, vt ille qui aiebat, dixi sapiens efficiar, et ipsa longius recessit à me, multo magis, quàm erat. Si autem Salomon hæc dicebat, quid nobis dicēdum putas? facile itaque eam diligentibus discitur sapientia; difficile, superbè atque confidenter quærentibus. Sed quid ego difficile inquam? cum tanto aufugiat longius, quanto ab ijs studiosius, instantiusq. inquiritur? Et quoniam dictum est lumen diuinum vnicuique præsto esse, hinc factum est, vt plurimi ipsius luminis ductu, sapientiæ, ac virtutis culmen attigerint:

Iuuenes aliqui ma- lis vijs ad sapiētiam conten- dunt.

Quod si ita est, etiam diuinæ potestatis aliquid accepisse putandi sunt, licet nulla legum sanctione, nullis præceptis, nulla doctrina, aut scriptura à Deo inspirata, promulgataq. instructi: cui annuendum est. Sed quid de Apollonio Tyraneo dicendum, qui nullis huiusmodi Deum vijs agnouit, Deo tamen tam charus fuisse visus est, vt plurima miraculorum portenta patrasse memoretur, inter quæ etiam mortuos suscitasse dictus est: & licet à quibusdam magus fuisse creditus sit, quia tamen magorum præstigijs tam magna num-

quam permissa sunt, non magus, sed numinis amicus potius fuisse putandus: Christiani enim, cum huiusmodi innumera facerent, ab Ethnicis magi & existimabantur, & dicebantur. Hac enim de causa Alexander cognomine Seuerus vna cum Christo et Abraham venerabatur, et adorabat: Qui postmodum Aureliano visibilis apparuit, ut patriā Thianem videlicet, quam euertere statuerat, liberaret. Num sanctū, num pium, atque ita iustum existimas, vt immortalem beatitudinem, beatamq. immortalitatem cum ceteris sancti numinis amatoribus sortitum arbitrari quis posset? perdifficile videtur. Vnum tamen scire necesse est, in cælestes nullum vmquam sedes receptum, qui in Christum, et antequam missus esset, et postquam carnem indutus est, non crediderit. Hæc sanctorum Theologorum sententia, hoc dogma tenendū, sed quo obsecro pacto ille in Christum credere potest, qui ibi natus est, vbi de Christo nulla vmquā mentio aut facta sit, aut fieri potuerit? cum nemo illic aut Christum agnouerit, aut cognoscere quiuerit? Nonne sufficit, si quis eo lumine duce, de quo ante dicebatur, iustè, piè, ac sanctè se gerat? Quid enim amplius his facere potest? Quid autem boni non fecit, quod faciendum agnouerit?

Alexāder Seuerus eodem honore Abraham, quo Christū venerabatur.

Notanda sunt omnia.

Dicen-

Dicendum quod illud vnum iuſtum eſſe putandum, quod Dei in cunctis voluntati concordat, quæ quidem ita in ſe habet, vt nec quid impoßibile iubeat, nec aliquem ſibi planè obtemperantem, obſeruantemq. condemnet. Illud equidem lumen, quo bona in homine illo voluntas excitata eſt, vt olim in magis, forſitan eum demum ad Chriſtum adducet: aut quia tria videntur eſſe baptiſmata, vnum aqua, aliud Spiritus ſancti, tertium verò ignis: ſi is qui aquæ baptiſmate dilui nequiuit, ſpiritus baptiſmo lotus ſit, nequaquam alio baptiſmate indigere videtur: qui autem Spiritus ſancti, qui Deus eſt, lauacro emundatur, iam Deo magiſtro edoctus Chriſtum ignorare non poteſt: igne denique, qui Baptiſmus tertius eſt, hoc eſt amore in Deum immenſo ſuccenditur, quempiam ad purum mundari contingit: ſi hoc Apollonius pacto Chriſtum agnouit, atque dilexit, ſanctum, pium, ac iuſtum, vt aiebat, vel ipſe fatebor.

Dei nec impoßibilia imperat, nec obtemperantẽ cõdemnat.

Tria videntur eſſe baptiſmata.

Si autem nec agnouit Chriſtum, nec dilexit, quo quæſo miracula tàm grandia ab eo fieri pacto potuere? non enim ea fieri poſſe arbitror, niſi diuina virtute in eo, qui facit mirabiliter operante. Hoc non eſt mirum: quoniã maleficos olim Pharaonis ſigna quædam, miraculo haud exiguo di-

gna fecisse Scriptura testatur. Nam inter cetera cum Moses, vt à Deo se missum probaret, virgam quam manu tenebat, proiecisset in terram, in serpentem statim conuersa est: quod dico ipsius Pharaonis malefici, per quadam, vt Scriptura ait, arcana natura vi dæmonum prorsus imitati sunt; qui adeo veri et ij serpentes fuere, vt Moysi serpens eos illico deuorauerit. Hinc magorum ludibria, hinc præstigiarum fallaciæ manarunt vniuersæ. Nam dæmones vt hominibus illudant, vt dij esse credantur, vt colantur, & adorentur, talia Deo permittente patrare consueuerũt. Multa insuper, quæ nulla sunt, uideri faciunt ijs, qui tales sunt, vt ab ijs ludi ac decipi mereantur. Contigit olim, vt quadam historia fidelis commemorat, quod quædam mulier in equam versa esse, & sibimet, et alijs videretur. Ducta autem ad quendã virum sanctũ; nequaquam illi equa, sed homo ita vt erat, illico visa est; qui virum eius aliosque, qui cum ea erant, acriter reprehẽdit, dicens, ob eorum eos à dæmone facinora sic illudi. Augustinus rursus in lib. de Ciuit. Dei quendam nominat, qui aliquandiu & sibi, alijs equus apparuit. Si igitur Apollonius magus fuit, aut per arcana natura, vt malefici illi, quadam verè dæmonum opera

facie-

faciebat, aut eorundem dæmonum ludis, atque præstigijs, vel suscitare mortuos, vel alia id genus patrare quandocumque libuisset, poterat; ea nequam tantum hominibus vera videbantur: boni tamen à dæmone, aut raro, aut numquam falli permissi: Magnum quid tamen, Saule Hebræorum Rege iubente, Phytonissa quædam fecisse visa est: Samuelem enim ab inferis excitasse dicta, qui à Saule ipso rogatus vera prædixit. Si igitur hæc visa est Samuelem suscitasse, & Apollonius licet malus eadem fecisse videri potuit: esto falsa essent, quæ ab eo fiebant: vera tamen interdum à quibusdam à summo ipso numine quasdam ob causas nonnulla fieri permissa, vt ea quæ à Vespasiano in Alexandria facta memorantur. Duo enim ex plebe, quorum cum alter luminibus captus, alter crure debilis esset, ad eum pro tribunali sedentem pariter adierunt, orantes opem valetudini. Demonstratum enim sibi à Serapide per quietem aiebant, restituturū eum oculos si inspuisset; confirmaturum autem crus, si calce id contigisset. Cum vero vix fides esset vllo modo rem successuram; ideoq. ne experiri quidē auderet: postremò tamen orantibus amicis palam pro concione vtrumque tentauit, atque euentu rei statim mira-

Boni & iusti non falluntur.

culum

Vespasianus quomodo cæcũ & claudum sanauerit.

culum confirmatum. Quo pacto hæc facta sint haud satis intelligo, nisi dæmonum ope alterius oculi, alterius verò crus impeditum forsitan appareret, ac statim impedimento sublato vterq. curatus videri forsitan potuit: aut certè amborum morbus ita se habebat, vt dæmonum ars eos curare, & facile, & ex templo potuerit: sin autem secus res se habeat, Deo cedendum, cuius & iudicia, & opera inscrutabilia esse dicuntur. Attamen quicquid sit, ex huiusmodi tantũ nec Apollonium, nec alium quamuis bonum, ac iustum fuisse dixerim.

Nõ miracula, sed pia opera, & vitę sanctimonia virum bonũ declarare solẽt.

Non enim miracula, quæ sæpe ludibria sunt dæmonum; sed vitæ sanctimonia, ac pia opera virum bonũ, & frugi declarare solent. si libeat exempla reuoluere, innumera huiusmodi afferre in mediũ facile queam. sed quæ dixi, quam opus hoc sustineat, sentio fuisse longiora. Eò itaque redeundum, vnde digressi sumus.

Philosophi an vera senserint.

Quærendũ autem, an antiqui Philosophi vera senserint, & si non senserint, quid hos impedierit. Multa supra libauimus; sed causam modo eorum inscitiæ explicare conabimur. Deum, qui veritas est, non videt, qui ab ipso auersus alibi, quàm in eo eum nosse laborat.

Deus quomodo cognoscatur aut non.

Deus agnoscitur in rebus à se factis; res autem in eo qui fecit. Verum nec sine

Deo illas, nec sine illis Deum mortales attingimus. Nobis enim scala quadam statuta creatura est, qua ad Deum ascendere, quaque cum Deo descendere valeamus: qui Deo duce non ambulat, mouetur sanè, sed minimè promouetur: Quisquis etiam Deum ducem non sequitur, non vadit, sed errat, non ascendit, sed corruit, non accedit, sed recedit, non ante vel coram se fertur, sed retro. Non igitur incessus, sed error Philosophorum à Deo auersorum extitit. Hi enim amore gloriæ immodicè acti, pro ipsius, vt ita dixerim, gloriæ arbitrio, incerti atque erronei vagabantur. Inde beatus Hieronymus gloriæ eos mancipia appellat. Quidam vero Indus in epistola ad Alexandrum Regem Macedonum missa, ait, Græcos Philosophos ad opinionis celebritatem verba pro rebus esse meditatos: licet vel hic ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo vnà cum ijs acriter agitetur: nec eo quod Græcos redarguat, ijs tamen existimat meliorem: non enim vel ipse Deo magistro vt homines decet; sed suo, vt ceteri, arbitrio vagabatur. Nec ijs forsitan Pherecides Tyrus melior, licet Theologus habitus sit, & prædictione vaticinioq. claruerit. Nec Zenonis sobrietas, moderatio, voluptatumq. contemptus:

ptus: nec voluntaria Diogenis paupertas; nec Pyrronis indifferentia & aequanimitas: nec Heracliti magnanimitas, Socratis modestia, Platonis diuinitas, Aristotelis acumen, Carneadis versutiae, Anaxagorae curiositas, & alia aliorum, tum vitae, tum industriae, ingeniorumq. argumenta, si verè pij non fuerint, meliores efficere valuerunt. Vna enim vera pietas, qua omnis virtus penitus continetur, teste Apostolo, ad omnia in omnibus valet: verè autem pij esse non potuerunt; eo quod verè Deum nec agnouerunt, nec coluerunt; Dei siquidem cultus vnus homines declarat vniuersos. Is enim non sanguine, vt mos antiquis erat, sed pietate, aut iustitia rectè colitur: quibus qui caret, non solum nihil habet, sed nihil esse penitus dici potest. Verum iam haec omittamus; generali quadam forma de virtute, sapientia, atque officio hucusque loquuti sumus; sed vt ante spopondimus, aliquot horum species tractare iamdudum adoriamur, licet id opus esse minimè videatur. Nam necesse est esse in partibus, quod in toto fuisse ostensum est: quia tamen varia est diuisio ab ijs destributa; an probabilis sit, nec ne, propensius inquirendum.

Pietas ad omnia vtilis.

Virtutum genera quatuor.

Quatuor virtutum genera ab ijs posita esse

con-

constat, quæ videlicet sunt Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia. sed Prudentiã, eò quod sciẽtia est eorum, quæ sunt ad finem, qui aut Deus est, aut in Deo, in quo bona sunt omnia, si Deum non agnouerunt rectè definire non potuerunt. Si item solius sapientiæ est causam altissimam considerare, quæ in moralibus finis est; prudentia nihil est sine sapientia: vnde forsan à Salomone dictum, sapientia est viro prudentia: si igitur vt supra probatum est, Philosophi Deum agnouerunt, sapientes esse potuerunt.

Nos verò nec à sapientia prudentiam, nec à prudentia sapientiam separamus; immo forsan, vt breuius eloquar, sapientiam, quæ ipsam continet prudentiam, solam ponendam, vel de his tractantes putamus: quin etiam forsan sapientem prudentiam, vel prudentem sapientiam appellari fas esse credendum: sic autem positam alterutram, vt in sacris didicimus literis describemus.

An sapiẽtia & prudentia separentur.

Sapientia sapiẽs prudẽtia prudens.

Est igitur sapiens prudentia, scientia eorũ, quæ iter ad finem seu dirigunt, seu impediunt: agnitio rursus omnium, quibus huiusmodi impedimenta offendiculaq. & effringi possunt, & penitus auferri: scientia item qua trium actiones temporum memorantur, inspiciuntur, ac certo ordine,

Prudentiæ definitiones.

lege rationeq. digerũtur. huius planè est consilium, quo facienda, euitandaq. meditando prauenit, cogitando disponit, contemplando fini coaptat, et proportione quadã similitudineq. effingit. Est oculus, duo simul vno eodemq. momento solerti ratione et despiciens, et alterũ alteri mirabili temperamento componens, viamq. monstrans, qua scilicet, currendum, et pramium, quod petendum est: hac magna, qua magna; hac parua qua parua; nulla qua nulla sunt, vna examinis cautione perpendit: hac diuinis humana, humanis diuina componendo, simulq. ea conferendo discernimus. Huius luminibus in calum simul ascendere, in tartara descendere intelligentia, & cognitione quis potest. hac, quid et quantũ Deo, hominibus, rebusq. vniuersis alijs debeamus, agnoscitur. Hac vna quid imperare, quid ve parere intra nos aquum sit, disceptatur, perpenditur, iudicatur; huius est rerum, actionum, personarumq. discretio: huius est ratio, intellectus, circumspectio, consideratio, prouidentia, docilitas, cautio, consilium, solertia, memoria, & alia huiusmodi vniuersa: huic vni, non vt Poeta loquuntur, lumina centum, auresq. totidem inesse feruntur; uersisq. vicibus cum hac excubijs; tum ha custodia sic inuigilant, vt nunquam

Sapiens prudentia quid.

Effectus sapientiæ & prudentiæ.

quam seu insidijs, seu insultibus aut lædantur, aut incautè opprimantur. Huius dux sapientia: sapientiæ vero hæc sectatrix: hæc nunquam fallitur, nunquam eam pœnitere opus est: tenebrarũ, errorumq. præcipitia & cernit, & cauet: hæc inania videt omnia, quæ sapientiæ manus non denuo & condiderit, & formarit. Hæc quæ via in cælum sit ceteris expeditior, breuior, tutior, optimè sola nouit: hac mala, quæ fugienda, bona quæ agẽda sunt, nouimus omnia: hac ratio quærit, conscientia & euigilat, & declinanda illa, hæc autem amplectenda esse proclamat. Hæc Philosophorũ ruinas, lapsusq. & pensitat, & cauendos admonet vniuersos. Hæc verborum illecebris atque magnificentijs nec mouetur nec fallitur: hæc non pulchra dicta, sed sana & miratur & confouet: Græcanicæ autem argumentum leuitatis affirmat verborum lepore, ac suauitate, non sententiarum neruis, roboreq. moueri: hæc vna tempus operibus, opera autem tempori componendo metitur: hæc quanti facienda sint, vtique ad viuum dignoscit. Hæc nihil tempore charius, nihil pijs sanctius omnibus esse posse dijudicat. hac vna corporis agilitas, animi celsitudo dignoscitur. Ab hac præclarum illud, quod cælo delapsum autumant,

Sapientiæ & prudentiæ iuuamina.

 mant,

mant, nosce, videlicet, te ipsum, manasse putandum. Hæc, vt ceteræ virtutes, nihil sine Deo aut quærit, aut dijudicat. Inde propensius illud prophetæ & pensitat, & miratur, qui ait, captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam: et illud væ vobis qui prudentes estis in oculis vestris: et illud: lucerna pedibus meis verbum tuum: & illud rursus: vani sunt omnes homines, in quibus non inest scientia Dei, et innumera alia quæ non hominum inuenta sunt, sed diuinæ sanctionis promulgata præceptio.

Isa. 5.

Psal. 118.

Sap. 13.

Si eorum quæ dixi testimonia inquirantur, facile ea proferre ex sacris literis possim: sed ne fastidio sim, & sermo in immensum procedat, sententias, descriptionesq. varias retuli, auctores subticui. Hoc, vt reor, pacto de prudentia disserendum; quod Philosophos minus obseruasse manifestum est. Sed dicet aliquis: Plato, cum de virtutibus purgati animi loquitur, paucis, vt mihi videtur, verbis omnia, quæ ipse loquutus es, in prudentiæ ipsius definitione comprehendit. Ait enim, prudentia est illic diuina, non quasi in electione præferre, sed sola nosse: et hæc, tamquã nihil sit aliud, intueri. Verba tua, cum de prudentia loqueris, eo tendunt omnia, vt prudens ea media seligenda

Plato de prudentia quid senserit.

esse

esse norit, quæ tutius, celerius, atque expeditius et ad Deum deducant, et illi inseparabiliter nos coniungant. Is autem solius nosse diuina prudentiæ esse ait, quasi ad Deum non nisi per Deum efferri contingat. Quapropter ea, quæ ipse diuina appellat, medium illic ac finis esse videntur.

Gauderem equidem, si vt nos, Plato ipse diuinitatem describeret: ex quo mihi in memoriam rediit, quod ille, qui omniũ hominum præceptorem diuina auctoritate se asserit, olim discipulis loquutus est. Ego videlicet, sum via, veritas, & vita: Vnus namq. & idem via est, qua itur ad veritatem: veritas qua intellectus; vita qua voluntas & perficitur, & impletur. Quo igitur via, est prudentiæ, quo veritas sapientiæ, quo autem vita charitati vni subijcitur. Nam via medium est, circa quem intellectus versatur, qui dicitur practicus, cuius finis est operatio. Veritas finis, circa quem versatur intellectus, quem speculatiuum appellant, cuius finis est ipsum scire. Vita quam voluntate complectimur, cuius finis est ipsius vitæ, hoc est summi boni fruitio. Hæc adieci, quia dum de Platonis prudentia loquebatur, excitatus sum. Quapropter etiam aliquot alia ab alijs definita in medium afferre iam molior.

Platonis dictum.

Ioan. 14.

Intellectus practicus circa quę versetur.

Intellectus speculatiuus.

Finis vitę.

Xeno-

Xenophōtis descriptio. *Xenophon Philosophus ait prudentiam esse scientiam bonorum, & malorum, ac mediorum.*

Placet descriptio, nam negari non potest: cum idem, vt supra perstrictum est, sapientes sine Deo non esse palam affirmet: nostris tamen minimè Prudentiæ descriptiones variæ. *componendus: Est rursus, vt quidam ait alius, agibilium ratio, qua optimo ea fini conuenientissimè coaptantur: Ille verò qui ait prudentiam esse fugiendorum sequendorumq. scientiam, idem dicit, quod alij. Quicquid tamen sit, nondum, vt reor, intima prudentiæ, prout velim, attigimus. Quapropter alia quadam de hac adhuc differenda: Si igitur prudentia, vitiaq. simul ac virtutes dignoscimus, hæc sibi inuicē componamus. Quod si fiat, vitium destructio; virtus autem exstructio quædam esse animi facile deprehendetur. prudentia, dum virtutis vim intuetur, dum oculis semper crescentem, atque ascendentem prosequitur, in cælo; immo etiam in ipso summi numinis sinu reconditam denique suspicit.*

Si autem vitium intuendo propensius, altiusq. consideret, vitiosum ruere primo, deinde in præceps tanto impetu volui, vt in imis crebro, ceu in mundi centrum detrusum, & absumi, & in nihilum verti demum miretur: sed de hoc loqui ad

præ-

præsens omitto: ad prudentiam ipsam me refero, quæ ex humano habitu virtutem primo dimetiẽs, cum ipsius absolutæ definitionis celsitudinem contemplatur, Deum intelligit, quod homo à natura videbatur. Cum autem quid sit ipsa virtus absoluta, atque perfecta considerat, tam magnam, tam excedentem vniuersa deprehendit, vt iam virtutem, quæ in hoc, vel in illo homine ante perspexit, nihil effectam animaduertat, quomodo illud animo secum volutat, quod ait in Euangelio Dominus, quod scilicet, nemo bonus nisi solus Deus: vtilitatem autem humanæ virtutis huic, quam cernit, componens, adeo eam cõtemnit: adeo despicit, vt illud iamdudum intelligat, quod cum huc ascendisset psalmographus loquitur, ad nihilum redactus sum, & nesciui: et illud infixus sum in limo profundi, & non est substantia, & alia id genus: eamq. tum verè viam esse deprehẽdit, qua ad veritatem, ac etiam vitam euehi homines necesse est: humanam namque, & eam quam creatam virtutem appellant, non solum nos in cælum efferre non posse, sed ne ab inferis quidem attollere iam agnoscit. Quia verò huc mersum Dauid se olim intelligebat: indeq. propria virtute emergere posse minimè confidebat: miserandis excla- Psal. 78.

mare

Psal. 129. *mare vocibus non cessabat, dicens: De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. Videbat planè nihil fere esse, nihilq. valere: Cano autem miseria se versum cernebat: virtutis verò propriè robur tam exiguum, tam fragile, vt per se inde euadere non posse dignosceret. Quapropter ad eum, qui virtus, & fortitudo nostra est, confugit, opemq. efflagitat.*

Intelligit enim ipsum solum virtutem nobis esse, qua & ab imis liberemur, & in excelsa tollamur: Psal. 17. *Inde ait, diligam te Domine fortitudo mea, & refugium meum. Siquis igitur Deum solum bonum, solum iustum, solam virtutem intelligat, nequaquam miretur prophetam dixisse, omnem hominum iustitiam panno similem esse menstruatæ; indeq. sui ipsius vilitatem; virtutis autem, quæ Deus est, & qua ad Deum nos euehi necesse est, magnitudinem vimq. considerat: ea humilitate demittitur, in qua sapiẽtia esse dicta est. Nam ceu duobus oculis, sapientia, videlicet ac prudentia hæc deprehendimus: sapientia siquidem virtutem hanc absolutam; prudentia verò humanam perspicimus: sed quia hæc sine illius cognitione nequaquam agnoscitur, ceu duobus ambas luminibus cernimus: ita vt cum de prudentia, prout supra dictum*

dictum est, Christianorum differimus, sapientem prudentiam appellandam putamus.

Sapiens prudentia ea est, quæ ita virtutem considerat, vt per humanas virtutes ascendens, ceu per riuulos quosdam, tam diu meditando, contemplandoq. attollatur, quoad fontem increatũ virtutum omnium & cernat, & speculetur, quæ à nostris incipit, in diuinis quiescit. Quæ radium quendam æterni Solis censet esse iustitiam; tanto autem ipso Sole deteriorem, quãto ab illo remotiorem. Intelligit etiam quod si quis, vt quidam sapiens admonet, diligit iustitiam absolutè, quæ per se bonum quid est, dilectione quid dignum diligit, qua ipsa dilectione, in eo decus ipsum & pulchritudo iugiter & augescit, & illustratur: ex horum autem incremento amor excrescit, ex amore intentio, ex intentione agnitio, ex agnitione amor, et sic ceu per circulum intuendo, intelligendo, amando, per radium ad Solem denique peruenitur. Qui radiorum huiusmodi fons est omnium, et in sacris litteris pater luminum appellatur, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Sapiens prudentia quæ. D. Iacobus.

Iustitia vero nostra est ceu imago quædam Solis, hoc est iustitiæ æternæ, in speculo per radios eo illapsos effícta, & per ipsorum radiorum flexus Iustitia nostra quæ.

intuentibus visibilis, comprehensibilisq. effecta. Videt rursus hæc prudẽtia, quod quemadmodum amotis Solis radijs, in speculo Solis ipsius amplius imago nec est, nec cernitur: ita amotis diuinis, id est, patris illius luminum ab animo radijs, quibus subsistentis æternæq. iustitiæ in ipso imago formatur, nulla omnino remanet humana virtus: cum vero per hos radios formata, suas in radiorũ fontem scintillulas exigit: hoc est, secundum formam à radijs acceptam, incipit operari ad Solem, hoc est ad exemplar iugiter nititur, qui nisus nostræ iustitiæ actio est, qua ea iustitia agnoscitur, quæ exemplaris iustitiæ comparatione nihil fere est: ita vt eam, sicut diximus, panno menstruatæ propheta conferre non vereatur. Quicquid tamen ea est, potius à radijs illis est, quam à nobis, licet etiam à nobis. Possumus enim radios ipsos, si libeat, non excipere. hinc igitur nouit hæc prudentia, quandam diuinæ atque humanæ connexionem esse iustitiæ, seu cuiuscumque virtutis: ita vt nostra virtus sine diuina virtute existere nequeat.

Simile.

Et certè quidam Philosophorum hunc nexum, hoc humani diuiniq. actus glutinum tenuisse videntur. vt Zeno: qui humanam sapientiam sine Deo esse non posse asserit: et Seneca qui ait: nulla

Zenonis dictum. Seneca dictum.

sine

sine Deo mens bona est. Semina in corporibus humanis diuina dispersa sunt, quæ si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt, &c. et alibi, animũ excellentẽ, moderatũ, omnia tamquam minora se transeuntẽ. Quicquid timemus optamusq. ridentẽ hilaremq. animũ cælestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare; itaque maiore sui parte illic est, vnde descendit. Sed ad nostra redeamus. Sapiens prudentia licet permeat omnia: primò tamen in iustitiam creatam infigit oculos, quibus rationem agibilium omnium cernit: et alia ratione describit, quàm à plerisque ante factum sit. Putant enim iustitiam esse, quæ suum vnicuique ius tribuit. Primo Deo, deinde sibi, postremò alijs omnibus: Ius autem vniuscuiusq. esse putat, quod seu meritis, seu origine, seu cognatione, genere, præcepto, etiam diuinitatis lege, & alijs id genus constat omnibus: hac timor Domini, pietas, ac etiã charitas continetur. Nam qui diligit Deum toto corde, tota anima, tota mente, atque omnibus viribus suis, pro facultate suum Deo ipsi tribuit; debemus enim ei omnia. Ius suum reddit hominibus, qui ita eos diligit vt seipsum, vel vt ab ijs ipse diligi vult: Ius suum sibimet impendit, cuius animus sensibus, & corpori imperat: qui

Iustitia quid.

Deo quomodo suũ tribuam'.

Reddere vnicuique quod suũ est.

his indulget, non seruit: hac iustitia timemus culpam, ne Deum videlicet offendamus, & mori priusquã aliquo eum pacto lædere, parati simus: hac piè ipsum colimus, & potius pati extrema omnia, quam cultum ipsius violare statuamus: quibus omnibus ius illi suum tribuit. Hæc omnia sapiens nos docet prudentia, de quibus aliqua deinceps iamdudum differenda sunt.

Quod iustitia omnis virtus sit, his optimè constat. Fortitudo verò ac temperantia alia virtutum dicuntur genera: & licet virtutes & sint, et appellentur: potius tamen quædã virtutis, hoc est, iustitiæ instrumenta, seu arma mihi dicenda esse videntur, quàm virtutes: his enim sapiens nititur ad colendum Deum, seipsum moderandum, componendum, atque effingendum, erga alios sese piè, cumque omni dilectione, & æquitate gerendum. Nam quo pacto pro honore Dei, veritatisq. assertione extrema pati, quod iustitiæ est, quis valeat, nisi fortitudo, & ea quæ sunt fortitudinis, patientia videlicet, constantia, tolerantia, & alia eiusdem generis, eum ceu scutũ quoddam, thorax, galea, gladiusq. protexerint? Quo rursus modo à voluptatibus abstineat, libidines frenet, sensus moderetur, nisi temperãtiæ viribus legeq. instructus?

Instrumẽta iustitię.

Quia

Quia tamen, & malos fortes, & nequam atque improbos temperatos esse cōtingit, haudquaquam virtutes esse videntur, sed instrumēta virtutis. Sunt enim ceu armorum genera quadam, quibus & bene, & male, vt vel incidit, vel ipsi volumus, vti solemus: si quis fortia, facta ad optimum finem non referat, fortis planè est, sed talis fortitudo haudquaquam iusta: minimeq. licet fortitudo sit, virtus vera est, & sic de alijs. quocumque tamen modo has appelles, parum quidem refert: quia tamen vnam, ac solam iustitiam virtutem putamus, licet, vt supra definiuimus, virtus ad plura se habeat; de ea iam differere aggrediendum est. Simile.

Iustitia primo est habitus, quo cælestia, quo humana, quoque etiam inferna, æqua meritorum, ac dignitatum lance pensamus: quo ea quæ vniuscuiusque personæ & conueniunt, & debentur, exhiberi curamus: hæc diuina humanis, humana diuinis mirabili temperamento conciliari consueuere. Hæc maioribus conuenienti cum honore, tum obsequio, studioq. subijcitur: cum æqualibus, beneuolentia, charitate, consensu, concordia, æquitate: cum minoribus humanitate, indulgentia, mansuetudine, clementia, maximaq. obseruantia Iustitia quid. Iustitiæ effectus.

mode-

moderatur: hæc omnibus præsto est, omnibus se suaq. communicat: omnibus similis, vt omnes iuuet, omnibusq. prosit, efficitur. Hæc fidem custodit, commissa obseruat, depositum omni studio, ac sinceritate reponit. Hæc fideliter colit amicitias, ac non solum quæ habet, sed etiam quod est amicorum, commune esse aßiduo curat. Hæc solicita est pro omnibus, studiosa in omnes, mater omniũ. Hæc leges obseruat bonas, malas insequitur. Hac comite à Regibus Principibusq. sanctiones optimæ, iura æqua, scita sanctißima & conduntur, & promulgari iubentur. Hæc Deum hominibus, homines Deo indissolubili nexu consensuq. cõciliat. Hæc quæ Dei sunt, Deo, & quæ Cæsaris Cæsari, reddi, vt in Euangelio est, solicitè præcipit. Hæc parentibus æqua, ac etiam si potis sit, æquis ampliora reddere studiosè molitur. Hæc omnium, quæ habet, vna Deo oblatione sacrificium, ac velut holocaustum offerre numquam desistit. Hæc omnes iuuare, nullum penitus lædere, quoad potest laborat. Hæc ne alteri faciat, quæ sibi fieri nollet, obnixè cauet. Hæc quæ ab alijs fieri sibi honestè cupit, ipsa ijs facere summa ope contendit. Hæc non fœnere beneficium, sed gratis impendit. Hæc magnam se pati contumeliam potius, quàm

parua

parua aliquem lædere iniuria eligit. Hæc libentius sua largitur, quàm suscipit aliena. Hæc tum rerum ad personas, tum personarum ad res est adæquatio. Hæc nullum, etiam contempta, contemnit; nullum falsa fallit, nullum vel ipsa læsa aliquando lædit; sua non sibi, sed egenis, atque inopibus possidet omnia, magna huius iustitiæ bonitas, magna pietatis sanctimoniæq. custodia. Nam cum se Deo semel dicauerit, Dei ipsius voluntatem in cunctis etiam minimis leuissimisq. custodit. Hæc nihil æquitati, nihil rectitudini, charitatiq. componendum esse ducit. Hæc personarum decore seruato, quæ vnũquodq. doceat, mirabili æquitatis temperamento & inspicit, & obseruat: quo fit vt clementes seuera, seuerè clemens, & misericorditer puniat: & districtè interdum, rigideq. indulgeat: Hæc tempora, loca, conditionesq. discernit: ita vt interdum innocentes condemnet, nocentibus parcat: interdum verò, vt scriptum est, animas iumentorum agnoscit, hominum ignorat: Hæc à sapienti prudẽtia nullo vmquam casu disiungitur: prudenti verò sapientiæ iugiter inhæret, ac sine his, vel temporis momento esse non patitur. Anima enim formaq. iustitiæ prudentia, spiritus verò sapiẽtia, vita, charitas est. Sed quid multa?

iusti-

iustitiæ bona sunt omnia. Et licet virtus ad plura se habeat; pro omni tamen, vt supra præfati sumus; virtute poni in sacris sæpe literis consueuit: quo Zeno pacto accipere videtur, cum ait iustitiam esse scientiam eorum, quæ eligenda sunt, quæque media; scientiam autem Stoicorum more appellat. sed hac iam denique, de omissa fortitudine, ac temperantia aliqua differamus, virtutes has, vt ceteri, iam denique appellantes.

Cicero in Tusc. de fortitudine.

Primo autem videndum, an à Philosophis rectè definiantur, necne. ponam simul plura, antequam ipsius fortitudinis intima referem. Cicero in Tusculanis hæc refert. Fortitudo videlicet est affectio animi legis summæ in perpetiendis duris rebus obtemperans: vel conseruatio stabilis iudicij in eis rebus, quæ formidolosæ videntur subeundis, & repellendis: vel scientia rerum formidolosarum, contrariarumque, aut omnino negligendarum, conseruans earum rerum stabile iudicium. vel breuius vt Chrysippus: nam superiores definitiones erant asperi hominis in primis, & hæc definitis, ut putant Stoici: Sunt enim omnino omnes ferè similes; sed Chrysippus: Fortitudo, inquit est scientia rerum perferendarũ, vel affectio animi in patiendo summæ legi parens sine timore.

Chrysippus.

Cicero

Cic.lib.4.Tuscul.eã appellauit scientiã perferendi res aduersas,uel animi affectionem in patiendo ac perferẽdo sũmæ legi parẽtẽ sine timore,et lib.2.etc.

Temperantia verò est moderatrix omnimodarum commotionũ: sed vt temperantiæ clarius vis enitescat, etiam de intemperantia aliqua dicere simul cum temperantia non pigebit: ait quidem Cicero,omnium perturbationum fontem esse dictam intemperantiam, quæ est à tota mente, ac tota ratione defectio,sic auersa à præscriptione rationis, vt nullo modo appetitiones animi nec regi, nec contineri queant. Quemadmodum temperantia sedat appetitiones, & efficit, vt hæ rectæ rationi pareant; conseruatq. considerata iudicia mentis; sic huic inimica intemperantia omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat: ita ægritudines & metus, & reliquæ perturbationes omnes gignuntur ex ea. Sed, vt Macrobius refert, Platonis temperantiæ, & fortitudinis iudicium hoc esse videtur. Temperantiæ est omnia relinquere in quantum natura patitur, quæ corporis vsus requirit. Fortitudinis,non terreri animam,à corpore quodammodo ductu Philosophiæ recedentem, nec altitudinem perfectæ in superna ascensionis horrere. Cum de purgati virtutibus animi loquatur,

Cicero de intemperantia.

Temperãtiæ effectus.

Macrobius.

M tur,

tur, ait. Temperantiæ est terrenas cupiditates non reprimere, sed penitus obliuisci: fortitudinis passiones ignorare, non vincere, vt nesciat irasci, cupiat nihil, &c. Quædam in his definitionibus nostris cõcordare videntur, vbi, videlicet dictum. Ideo ea quæ hæ virtutes requirunt esse facienda, vt legi summæ obtemperetur. Hanc equidem legem non aliam, nisi diuinam intelligo. Ibi etiam, vbi ait Plato, fortitudinis esse, inter cetera, haudquaquam altitudinem perfectæ in superna ascensionis horrere; superna enim diuina ab eo intelligi puto, quo virtutis actio omnis tẽdere, ac niti decet. sed vt vel supra pluries loquutus sum, hæc omnia mihi suspecta redduntur, consideranti, quodnam horum de diuinitate sit iudicium. Sic enim de diuinitate loquũtur, vt omnibus ab his dictis in vnum coactis potius ei detrahant, & vt more nostrorum loquar, potius eam blasphement quam laudent. Quo fit vt eorum dogmata vniuersa facile destruantur. fundamento enim sublato nihil penitus stare potest. Nam si quis audiat Zenonem, Senecam etiam, ex nostris Ciceronem, Platonem, & alios huiusmodi, nobiscum eos in multis sentire audacter affirmet. Alius enim, vt supra constat, ait; mens bona sine Deo nulla est. Alius vnus com-

Platonis dictum.

munis

munis quasi magister, et Imperator omniū Deus. Alius, sapiens non est sine Deo. Alius, Deus lumen est mentium, & innumera talia. Si tamen alia quæ senserint, quis inspiciat omnia, nec eos Deum intellexisse, nec quid affirmarent, satis nouisse deprehendet. Si quis tamen obstinatè peruicaciterq. insurgat, non equidem insistam; verum admonebo potius, vt nostra amplectatur, quæ tam vera sunt, tam sana, vt vel hostes, natura, veritateq. ipsa interdum cogente ea asseuerent, approbare eadem compellantur. Sed his omissis, more iam nostro fortitudinem simul, ac temperantiam & describamus, & earum bona quot sint, quamque magna, explicare, atque aperire conemur.

Fortitudo est habitus, quo quisque causa honestatis, ac pietatis non solum dura, alacriter perfert, sed si opus sit, libens volensq. & subit pericula, & adire licet magna, licet horrenda non metuit; mortem, ac si qua sunt morte ipsa terribiliora, Deum promerendi gratia intrepidè, & adit, et tolerat. Fortitudo quid. *Temperantia eandem ob causam à voluptatibus, illecebris, cupiditatibusq. malis omnibus, & perturbationibus se continet, abstinet, moderatur, priuari suauitatibus oblectationibusq. corporis potius sustinet vniuersis, quam diuinam* Temperātia.

Maiestatem vel minimum lædere patiatur. Ex ijs patet, has ceu arma quædam esse iustitiæ, quibus tum hostes ferire, atque deijcere, tum ab hostibus se defendere, ac protegere consueuit.

Fortitudinis, & têperantiæ effectus.

Fortitudo siquidem gratia promerendi numen, nec ardua, nec tristia atque aspera metuit. Temperantia nec mollia, nec dulcia, nec amœna, vel appetit, vel si libido titillet, mulceat, blandiatur, alliciat, trahi se sinit. Illa mala robustè perfert; hæc bonis temperanter renunciat: ea non flectitur duris: hæc non mouetur suauibus; illa viam in cælum vi magna sibimet sternit: hæc ab inferis frugalitatis ductu regulisq. absoluitur; illius est magnanimitas; huius verò humilitas: ea vincendo; hæc autem fugiendo palmam obtinet virtuti paratam: illa inferna attingit, vt possit superna assequi; hæc inferna declinat, ne à supernis aberret: ea virtute; hæc autem bonitate gaudet numinis. Ea monstra domat omnia: hæc ne à monstris dometur solicita. vtraque sanè magna: officia tamen vtriusque diuersa sunt. Cum tamen altera sit in altera, ita vt diuidi ab inuicem nequeant, in sacris literis fortitudo tantum pro ambabus poni consueuit. Indeq. vnum ex septem, quæ Spiritus sancti dicuntur, muneribus est fortitudo: appel-

appellant enim fortitudinem ab eo, quod vincit omnia; ipsa verò à nullis penitus vincatur. Fortitudinis enim est vincere libidines, frenare iram, ceterosq. affectus malos, paßionesq. obruere, subijcere, & rationis vinculis nectere, obsequi, cogere, castigare: & ne insaniant, eas vi magna conterere, cupiditates frangere, & alia id genus patrare omnia. eo quod quoddam bellū cum eiusmodi hostibus geri videtur, & ipsos denique superari, quod fortitudinis proprie est; solam fortitudinem posuere. Num enim fortitudo illa dicenda est, qua Ioseph olim, & mulierem se rapientem & libidinem vicerit? Xenocratis item constantiam illam haudquaquam appellare verebor, qua cum scortum forma præstantißimum in lectulum humanitatis gratia recepisset, licet ab ea variè instigatus, & ad complexus sæpe coactus minimè cessit, sed mulierem simul insuperabili constantia, & libidinem superauit. Alexander etiam Macedonum Rex, victo Dario, filias eius, Sole, vt asserunt, pulchriores, videre noluit: ne qui viros vicisset à mulieribus vinceretur. Et idem noua capta Carthagine, Scipioni, qui postea Annibalem vicit, contigisse memoratur: sed hic vidit puellam forma pulcherrimam: & tamen se, ac volupta-

Exemplū.

Exemplū.

Exemplū.

luptatem animumque, cum esset admodũ iuuenis, in libidinem æstuantem ingenti constantia superauit. Quia igitur in superandis passionibus, et pugna grauis, & victoria clara est, etiam quæ temperantiæ subijciuntur, vel ad ipsam fortitudinem trahi possunt: sed de his postea. Dictum planè atque ostensum, vt mihi desuper datum est, Philosophorum doctrinã potius obesse mortalibus quam prodesse, quæ eo etiam periculosior est, quo aliquot continere videatur, fide, & imitatione dignissima, quam si nulla haberet talia; his enim tamquam melle, horum venena toßicatumq. virus ita contegitur, atque oblinitur, vt vix viri percauti, atque solertes ab horum illæsi visco, illecebrisq. euadere poßint.

Quid ergo faciendum? ad sacros confugiendum libros, in quibus via in cælum strata est, nullis insidijs laqueisq. obsessa, vt in sequentibus omni purgato animo, breui, & facili quadam methodo dicemus.




F. PRO-

F. PROPERTII RESTAE DE TALLEACOTIO EPISCOPI GERVNTINENSIS ET CARRIATENSIS.

DE FALSA ET VERA SAPIENTIA.

Liber Tertius.



VILIBET ratione præditus, & diuino numine illustratus, & erectus, die noctuque, omniq. lapide reuoluto intendere debet; vt quo pacto in cælum tuto itinere ascendere possit, intelligat, & his animum applicet, quibus et à terrenis expediri interim valeat, & quæ ad migrandũ hinc in cælestem patriam maximè conducant. Et tantò instantius accelerandum viaticum est; quantò peregrinatio, seu demigratio propinquior esse videtur. & licet hæc via à plurimis & ostensa, & ad vnguem prodita sit, dicam tamen quid sentiam:

Philosophos omittam. Ambrosius in libro de Officijs; Augustinus in vltimis lib. de Ciuit. Dei; D. Ambrosius. August.

Greg.

Gregori. Hieronymus.

Greg. super Iob, Hieronymus in varijs opusculis, hanc optime viam edocuerunt. Quia nihil penitus scripsisse hos manifestũ est, quo non viam hanc ostendere moliantur. Quosdam verò hac ferè ætate nostra scriptores ad ipsum pro virili multis, ac magnis librorum monumentis machinatos esse constat: qui licet magni extiterint viri; multaq. & certo ordine, & innumeris distinctionibus subtilißimè differant; tam inepti tamen sunt, tam prolixi: tot syllogismorum nugis, & acuminibus immorantur, vt à rebus tandem in verba, contentiones, cauillationesq. soluantur. Tanto autem fastidio mihi esse consueuere, nonnumquam eos legenti, vt pluries iam decreuerim velle potius nihil omninò scire, quàm ab huiusmodi discere. Si enim de diuinis differunt, non diuina docere, sed propria acumina, versutias, atque ineptias ostentare malle videntur. Si autem de moralibus disputant, non ad operationem, seu actionem, quæ moralis Philosophiæ finis est; sed ab actione potius ad verba nos traducere velle putarim. Mos veterum mihi admodum est animo, qui puro sermone, simplici atque communi homines instruere, non obruere; docere, non confundere; sanare, non ægrotos reddere; alacritate erigere, non tædio opprimere

primere moliũtur. His igitur diſputationibus Chriſtianorum cum fides, tum deuotio adeo iam refrixit, adeo languit, vt pauci admodum ſint, qui non vitiorum atque infidelitatis quodammodo ſordibus volutentur. Peſtifera verò cum apud Græcos, tum apud innumeras nationes alias dogmata ſic inualuere, vt vel nobis etiam pertimeſcendum ſit: hi verò in otio ſophiſmata, captiones, ac laqueos meditantur: ſana autem, & veneratione digna doctrina paucis, vel libris, vel diſputationibus aut ſeritur, aut excipitur. Hos igitur relinquamus, & pura, ac ſana ſacrorum librorum, veterumq. doctorum pro virili noſtra, præcepta & diſcere, & opere conſectari conemur.

Alpha, & Omega dictus eſt Deus, principium ſcilicet & finis: principium à quo ſunt: finis in quem tendunt omnia. Eſt actionum directio, maximèq. intellectu, & ratione vtentium: Finis autem eſt ultimus, aut certè actionum (ut de homine ad præſens eloquar) humanarum terminus omnium, ubi quieſcunt, ubi optata omnia conſequuntur: ibi enim cuncta perfecta, cuncta optima, cuncta æterna, quorum adeptio quoad nos, finis ſupremus: Summum enim illud bonum eo finis eſt, quo nõ niſi in eo, uerè beatus quis eſſe poteſt. Nota de Deo Opt. Max.

Est itaque is terminus, adeptio autem illius propriè finis: hic ad se trahere dicitur omnia, in hunc mouentur tenduntq. vniuersa. Tam autem præclarus, tam bonus, quàm beatus, ut non secus adipiscentes, sed uel in eum tendentes beatos cōstituat: beatior tamen uita est adeptorum, quā adipiscentium. Alia si quidem est beatitudo in spe, alia in re posita. Fine autem ipso uia dirigitur, formantur opera: hic sane ueritas dicitur, ac uita, quarum ut uel superius perstrinximus, altera intellectus, altera affectus hominis completur, atque perficitur. Est enim ueritas intellectus, nedum obiectum, sed finis: & licet bonum, quod obiectum est uoluntatis, rationem solum finis habere uideatur; quia tamen nec intellectus à uoluntate, nec uoluntas ab intellectu disiungi ualent, ideo ueritas & uita proponitur: sicut autem ea ueritas uita: sic ea uita uera est: & sicut in ueritate ratio uitæ, sic in uita ratio ueritatis. Vita namq. idem est quod bonum: ueritas idem quod uerum per se, nec in eo qui hæc dixit, suppositum à natura, qualitas à substantia; esse ab essentia, differre aliquo modo possunt: dixit enim hæc, qui est omnia, ratio videlicet, seu verbum ex Deo natum. Ait enim: Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita: cum alibi dicat,*

Beatitudo &c.

Intellect. & voluntas quomodo se habeant.

Prin-

Principium qui & loquor vobis. nec solum principium est, & finis, vt supra dicebam, sed etiam medium: est siquidem nobis principium esse; medium quo boni, finis quo beati esse poßimus. De principio aliàs: de via modo dicendum. Ioan. 8.

Hac via est, qua eo ascendere poßumus, quo peruenire volunt etiam mali: qui quia hac via relicta, alia eò nituntur, non accedunt, sed recedunt; non ambulant, sed errant; non promouentur, sed amouentur. Asseruimus superius virtutem, ac fortitudinem nostram sæpè Deum fuisse: eo tamen pacto, vt à virtute creata multis modis differre monstrauerimus: quapropter ne dicta sæpius dici contingat, ea quæ in manibus sunt, prosequamur. Viam quidem perueniendi ad Deum, Deum ipsum fore necesse est. Hæc igitur via nobis carpenda est, obseruanda, & persequenda: de qua; vnde vltra procedamus, aliqua adhuc dicenda: Hac vna rectè via incedamus: hæc enim vna nec erroribus implicata, nec ambagibus inuia, nec tenebris obscura, nec longitudine molesta, nec asperitate tristis, nec prauitate absorpta. Ipsum enim verbum, quod ex Deo diximus natum, hæc excludit omnia, & facilem, breuem, expeditamq. efficit viam. Christus Iesus est via.

Est ardua ac plana; arcta, ac lata; angusta, & spatiosa: beatus qui hac ingreditur, beatior qui percurrit, beatissimus qui currendo confecerit. hac ambulantes nec insidijs capiuntur, nec expoliantur à latronibus, nec ab hostibus seu vulnerantur, seu vita priuantur. Circumstrepunt sanè vndique infensa, infestaq. variarum monstra ferarum, sed via, quæ ratio æterna est omnium, & quam ex Deo natam asseruimus, eludit vniuersa, nec potest opprimi, qui tanti protegitur ope numinis. In hac nec à dextris inclinatur, nec à sinistris; hac non erratur, hac inceditur, non reptatur, hac ambulatur, non ruitur. Aliæ viæ insidijs obsessæ sunt vniuersæ: quæ tamen non viæ dicendæ sunt, sed abruptarum potius præcipitia rupium: vbi horrent vepres, stant sentes, nemora obsident: innumera autem monstra dilaniant. sed dici planè nequit, quàm inextricabilis sit, quàm obscura, quàm ambigua, quàm anceps, quàm deuia: quædam tamen offulæ melle elaboratæ, licet intus lætheis confectæ liquoribus, venenoq. infusæ sint tartareo, incautè tamen indecentibus apposita, quibus gustatis somno, seu furore rapiuntur pæne incurabili, quo oppressi ceu ebrij, huc aut illuc miseri aguntur, corruunt, dilabuntur. Via igitur inceden-

Humana via quæ.

cedendum, quæ ratio illa æterna est, quæ cum viro cuidam intus olim aliquantulum illuxisset, ait: Viam mãdatorum tuorum cucurri Domine, cum dilatasti cor meum. Cor quidem dilatari, est ratione illa æterna vtcumque animum illustrari; sed de via hic paululũ dicere differamus. Sunt enim antequam ad uiam hanc veniamus, de vita, & veritate aliqua differenda: sed primo de veritate, postmodum de vita, quas diximus finem esse. Psal. 118.

Est itaque veritas ea lux, qua uera, falsaq. omnia uerè dignoscimus. Est forma intellectus, lumen mentis humanæ, ignis spiritus, quo non solum enitescit, sed incalescit: est rei intellectusq. adæquatio, nullus huius amicus mendax, nullus huic contrarius uerax. In hanc euectus ita hominis excedit limites, ut Dauid & intelligat, & asserat omnes homines esse mendaces: cui si credimus, Philosophos fuisse mendaces, minimè nos dubitare fas est. fuerunt enim homines. Hi uero qui hæc agnoscunt, supra homines: hæc intra præcordia vnicuique clamare non desinit, dicens: Filij hominum usquequo graui corde, ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? nihil enim sine hac uerè intelligunt homines, huic magna indole præditi inhiant uniuersi: nec uerbis seu Veritas quid. Psal. 4.

fallun-

falluntur, seu fallere ipsi norunt; vana cum Ecclesiaste mortalia intelligunt omnia. Ipsi autem veritatis luce perfusi omnia qualia sint, ita norunt, vt verba eis dari non possint. hanc Philosophi quæsierunt: sed non ea via, quæ idem est quod veritas. quo factum vt inuenire nequiuerint. Hæc contemnit mortalia omnia, quia quàm vilia sint, quàm egena, quàm tristia, acrius, certiusq. intelligit vniuersis: hæc parua despicit; solis autem magnis inhians suspirat. Hæc vbi corde insederit iusti, id sic illustrat, sic ad viuum extergit, sic expiat, vt videat esse tenebras, quæ lux à natura videbatur: videat esse mala, quæ bona: parua, quæ magna: ima quæ excelsa: amara quæ dulcia prius esse ducebat: hæc facit in homine quicquid in se, & per se facere putanda est. Viua planè veritas, vera vita, quæ simul non solum hominibus, sed & Angelis se finem constituunt. Veritatem hanc mundo corde, qui Deum videre dicuntur, inspiciunt. Vitam autem hi possident, qui filij dicuntur Dei, qui & pacifici nuncupantur, eoq. verè vitam adepti, quæ verè beata est, vereq. æterna, non vltra quid cupiunt: nam quid vltra cupere is potest, qui id adeptus iam est, quod bona est omnia? hanc vitam, veritatis radijs illustrati

Philosophorum error.

lustrati perspicimus, intelligimusq. nullos verè viuere, nisi vita hac intrinsecus animatos: sed vt quanta sit veritas, quam per se vitā esse nouimus, iam constet, de vita ipsa aliquid differamus. Vidimus finem, quem veritate, ac vita constare manifestum est. modo solam vitam inspiciamus, vt quanti sit ipse finis, euidentius demū appareat. Vita.

Nihil plane mortale est finis, nihil exiguum, nihil infirmum: verum tanti momenti, tantiq. ponderis, vt qui eum adeptus fuerit, in diuinitatis quodammodo naturam transire dicatur. Deus enim fit, in Deum ipse translatus, vt cara quæ flamma absorpta in flammam vel ipsa transfunditur; sed quid vita hæc? id quidem quo viuunt, quæ viuunt omnia. Ille quidem vita hac viuebat, qui ait: Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus: hæc vita sola viuere per se dici potest; alia autem per ipsam: sed vt de veritate factum, non qualis, quantaq. in se; sed quanta & qualis in nobis sit, inquirendum. Vita est qua homo quodammodo tum sapit, tum diligit, hac infusa anima, mortis tenebras, & horrores agnoscit: mortem verò eam nunc vocito, quam animus, cū huius expers vitæ sit, demum illabitur: vt autem propriè veritas in intellectu, sic uita in affectu est; Simile. Gal. 2.

licet

licet in intellectu sit uita, quo uera est; in affectu sit ueritas quo uiua; ita ut utraque sit in utraque: hic uerè finis, hic uera beatitudo, beata ueritas; hic uita æterna, uiuaq. æternitas. Huc uia per se ipsam, in se ipsam uiros pietate, iustitiaq. insignes & euehit, & deos simul atque beatos constituit.

Sed cum hic dicatur esse uia, quo pacto aut agnoscere id, aut quæ, & quot partes sint ipsius, discere possumus?

Modo iam animus intendendus, ut quales, & quot sint, hæc sacra Scriptura, Deoq. duce, denique teneamus.

Fides initium. *Huius initium uiæ fides, huius finis sapiens charitas, charaq. sapientia forsan dicenda. Ex hac fide Dei timor, pietas, humilitas, & omnes hæ uirtutes, quæ unum finem semper inspiciunt, emanare uidentur, de quibus ut datum fuerit, ordine differendum.*

Heb. 11. Fides qd. *Fides, ut ait Apostolus, est substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium: Magna planè res fides, eo namq. ascendit, quo ascendere scientia licet insignis, licet ampla, licet maxima, altissimaq. non potest. Ideo autem à uere philosophantibus fides requiritur, quia scientia,*

tia, aut nulla est, aut certè manca, atque inutilis: pudet nonnullos fidei forsitan terminis credere, eò quod inscia, atque indocta credulitas videatur, qua insolentia fit, vt nec credant, nec demum sciant: discentem aiunt credere oportere: qua conditione, vel tu ipse licet eruditissimus, viam veritatis, ac vitæ attingere poteris? per Philosophorū ne somnia, variaq. cōmenta? at nihil habent solidi, nihil certi, quæq. ipsamet demum sese conficiūt. omnia absque fide forsan discere potuisti. hæc autem quæ modo tractamus, nec tu, nec alius si quis sit, vel te eruditior, ingenioq. præstantior, omninò poterit, licet vel ibi fides à præceptoribus requiratur. Pythagoras olim non solum fidem à discipulis in ipsius disciplinæ exordio postulabat: sed vel ad quinque annos silere, tacitosq. audire iubebat. Si ergo ille, qui philosophiam monstris, ac portentis varijs exornauit, hæc requirebat; quid nobis faciundum? quibus, cum viam ad verum finem docere velimus, & finem ipsum ostendere necesse est, vt supra præfati sumus? Pythagoras.

Fide hac, id est, credulitate numinis præscriptis constantissimè inhæremus: impudentiæ verò, si Deo non cedatur, non credatur, dictiq. ab eo ratio postuletur, adscribimus, maximè quandoqui-

dem si Dei præcepta esse aliqua verè sciremus, intolerabilis superbiæ esset, si eorum rationem quis postularet.

Multis planè modis Dei præcepta esse, quæ ipsi tenemus, nosse si libeat, possumus, sed de hoc aliàs: sensim enim differentibus nobis vel hoc innotescet. Euangelij equidem, magnorumq. virorum dicta, & asserta reponam. Fides, teste Dionysio, nos in veritate, & veritatem in nobis dicitur collocare, quæ licet supra opinionem, & infra scientiam esse dicta sit; ita tamen se habet, vt scientiam firmitate assertionis adæquare propemodum videatur; sed in his quæ sciũtur, necessitatis; in ijs autem quæ creduntur, etiam voluntatis confluit cessio, atque assensus: qua ita summum numen, cui nulla ratione accepta credendum est, honoratur, vt scriptum sit: sine fide impossibile est placere Deo. Et alibi: Omne quod non est ex fide, peccatum est: credenti autem possibilia esse omnia dictum: Fidei huic victoria mundi tribuitur. Iustus etiam ex fide viuere dictus. Miracula verò à Domino facta, fidei in eum credentium semper adscripta sunt. Centurionis autem cuiusdam fides ad se domum, vt ægrotum curaret, Dominum venire non permittentis, maximopere laudatur, eò quod

Dionysius. Heb. 11. Rom. 14. Mar. 9. Rom. 9.

crede-

crederet diuinam virtutem nusquam deesse; indeq. nequaquam huiusmodi faciendis eius corporalem præsentiam fore necessariam iudicaret. quo factum est, vt Domino etiam corpore absente, ægrotus ille conualuerit.

Fides est virtutum fundamentum immobile omnium: sancti per fidem vicisse regna, operati esse iustitiam, miracula innumera, ac pergrandia patrasse feruntur: nulla enim fidei impoßibilia, hac mare exsiccatum, montes translati, diuisa flumina, monstra placata, ignis natura, ac vis impedita, homines in cælum adhuc viuentes euecti; Solis, Lunæq. cursus repressus, ignis cælo demissus, pluuia sublata, ac fidei ipsius iussu reddita; mortui suscitati, iuuenes occisi, & innumerabilia alia à sanctis patrata sunt. Hæc igitur in primis amplectenda, fouenda, & omni custodia immaculata, sinceraq. seruanda: hac enim omnia, sine hac nulla omnino possumus; quæ tamen nisi charitate formetur, licet linguis hominũ quis loquatur, & Angelorum; licet mysteria nouerit omnia, prophetiam habuerit; montes transferat; sua pauperibus vniuersa dispenset: licet mori paratus sit: sine charitate tamen nihil esse, nihilq. prodesse ab Apostolo dicitur: Cum itaque de fide lo- Heb. 11.

quor, ipsam equidem intelligo, quæ per dilectionem dicitur operari: hæc necessaria est, absque hac si quis iter hoc præclarum, de quo loquimur, inuadit, numquam non solum conficit, sed nec incipit quidem: contraria enim à fine optimo via ingreditur: huic igitur cedamus, hanc amemus, hac viuere studeamus: nulla sine hac vera hominis constantia est: nullus animi diuinitate conspicuus, nullus sine fide iustus. Hæc spei fons, charitatis mater, beatitudinis causa: hæc intelligentiam denique parit; hæc in sapientiam demum conuertitur; dum tamen hic viuimus, perfectè carere hac non possumus: in patria tamen aut exulat, aut vt diximus, visio certa, scientiaq. efficitur: per fidem enim, vt ait Apostolus, nunc ambulamus, non per speciem; videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem visione certissima Dei gloriam contemplabimur.

D.Paul. *Reuelatã tamen interdum fuisse, vt ait idem, gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, de claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu: hac tamen hic magni, scientia autem maximi denique futuri sumus: hic fide ad nihilum redigimur, vt in cælo esse aliquid valeamus: hic credimus, vt aliquando sciamus:*

mus: hic fidem custodimus, vt in Deum iterum credentes, videre tandem eum, & contemplari poßimus. hac modo obedimus; attamen denique imperabimus: hac recte per tenebras ducimur, nec offendimus, sed à tenebris sapientiæ lux nos demum exceptura est. Bonæ tenebræ, quibus in lumen demum transcribimur: hac pauperes ditantur, diuites pauperes mirabili conuersione efficiuntur. Illum, qui ait, nunc cœpisse, intelligendum fide, qua postmodum ita prouectus est, vt adijciat: hæc mutatio dexteræ excelsi: huic denique aperiuntur, quæ intellectus acie attingi nullatenus possunt.

Magna res fides, cui quod oculus non vidit, Isa. 64. *nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, per* 1. Cor. 2. *Domini denique spiritum reuelatur. Hac vnius Trinitatis, trinæq. vnitatis mysterium, dum viuimus, & credimus, & toto corde, anima, ac mente complectimur: interim aduentum Domini expectantes, qui reformabit, vt habet Paulus, cor-* D. Paul. *pus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Hac tenemus Deum vnum, & trinum creasse naturam, dedisse gratiam, daturum esse gloriam: hac per filium suum ruinæ consuluisse mortalium, aliaq. permulta, quæ breui libello*

com-

comprehendi non possunt, fecisse non dubitamus. Hæc igitur est ceu porta quædam, qua ire incipimus: nullus enim, nisi per hoc ingressus sit ostium, ire potest. Alij siquidem non eunt, non procedunt, sed retrò semper feruntur. Ingressos autem hoc ostium timor Domini illicò excipit. non enim timere Deum potest, nisi qui fide prospexit, quantum numen sit, quod culpa offendimus, officio promeremur: nouit enim fides illius esse vitæ, mortisq. imperium: eius apud inferos iussu puniri nocentes; apud superos verò iustos foueri: sicut autem fides viæ eundi ad vitam ostium est; sic timor Domini initium sapientiæ. Plures quidem assignari solent species timoris: In primis enim dicitur naturalis timor, in quo nec meritum vllum est, nec culpa: alius mundanus, qui numquam est sine culpa: tertius liberalis, qui semper est cum merito: quartus seruilis, cui nec culpa aliqua, nec meritum aßignatur: vtilis tamen est, eò quod disponit ad eum, qui sanctus à Propheta nuncupatur: de quo vno ad præsens nobis differendum est.

Res planè Philosophis risu digna, quod scilicet via ad sapientiā sit timor sanctus; cum illorū quidam ideo Deum non curare mortalia asseruerint, vt omni penitus metu delinquētem absolueret. Hi infero-

inferorum supplicia vna cum ipsis inferis penitus tollunt, nullosq. esse omnino probare conantur. Est tamen timor hic sanctus sapientiæ initium: nam ideo timere culpam incipimus, quia Deum iustum fide agnouimus. quo fit, vt culpa offendatur, vt placetur innocentia. Iustum igitur Deum, sapientemq. intelligas: quo fit, vt nihil eum latere possit: nihil pœnam, quam culpa meruit, vmquam euadere. sapientia enim scrutatur etiam arcana cordis: iustitia verò nullum impunitum relinquit. Initium igitur est sapientiæ nosse in Deo esse iustam sapientiam, & sapientem iustitiam: nosse ita bonum, vt dignus sit propter se & metui, & amari, haud exigua planè sapientia est, Deum talem agnosci, vt timore, amoreq. dignum esse non dubitetur. sed de timore primo, qui initium dicitur sapientiæ, nobis dicendum, non quia timor Dei sit sapientia, sed primum initium sapientiæ: et dicitur initium, eò quod ex prima, & incipienti exoritur sapientia: omnis hominis labor eò tendere debet, siue virtute præditus sit, siue non, vt Deum agnoscat, ex quo vno bona nostra dependent vniuersa: quantumcumque disciplinis liberalibus, doctrinis, scientijsq. varijs operam dederis: quantumcumque in ijs profeceris, nihil sapere, nihil

verè

verè scire te noris, nisi Deum saltem fide cognoscas. Inde autem verè eum te nouisse constabit, si timere incipias, si culpam, qua ille offenditur, exhorreas.

Timor enim ille, atque horror argumentum est sapientiæ iam orientis, iam cœptæ, iam pullulantis: ita vt plus sapiat mulier timens Deum, ac tremens, quam simul Philosophi omnes nullo Dei timore degentes. Hanc sapientiam superbi, cuiusmodi persæpe literatos animaduerti, attingere nequeunt. Quo fit vt melius fuisset plerisque, non didicisse: cum & à mulierculis, simplicibusq. hominibus sapientia superentur: & ex ijs sæpe disciplinis fastu intolerabili, atque arrogantia intumescant. Quot autem vt obliuiscantur perdiscunt? Quot stulti, stolidiq. effecti sunt, vnde sapientes effici ante putantur? ideo Salomon studia etiam sapientiæ & contemnit, & damnat: quia haudquaquam sapere, quin potius insipientiores qui sapientiæ diu multumq. insudarunt, effectos de-
Eccl. 1. *prehendit. Vidit enim quod in multa sapientia, multa sit indignatio: & qui addit scientiam, ad-*
Eccl. 7. *dit & laborem. Alibi verò ait: Cuncta tentaui in sapientia, & dixi sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me, multo magis quàm erat. Alta*

pro-

profunditas, quis inueniet eam? Lustraui vniuersa animo meo, vt scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam, & nomen, & vt cognoscerem impietatem stulti, et errorem imprudentiũ, et inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, & vincula sunt manus illius; qui placet Deo, effugiet eam: qui autem peccator est, capietur ab illa.

Ecce hoc inueni dicit Eccles. vnum, et alterum, vt inuenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inueni, &c. hæc quærit absque Dei timore humana præsumptio, à qua sapientia longe recedit; rationem vero rerum inuenire nullo modo potest, quod Philosophis contingit: Timor autem Domini iam inuenit, iam reperit, quæ via, ratioq. philosophandi vna est: quæ licet sit expeditissima; tanta tamen hominum est peruersitas, vt alij Bragmanas, alij Gymnosophistas, alij magos Chaldæos, Aegyptios, adijsse memorentur, ut discerent, quæ non nisi timore Domini verè quis discere potest. quod Salomon optimè intellexisse videtur, cum post innumeras ambages, variosque, & inextricabiles errores in fine Eccles. ait: His amplius fili mi ne requiras: faciendi enim plures libros nullus est finis, frequensq. meditatio,

Eccles. 7.

Timor Domini.

Eccl. vlt.

carnis afflictio est : finem loquendi omnes pariter audiamus. Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo: nõ multos libros quærendos existimat, paucis, præclarisq. præcipit esse contentos: curiositas enim inconstansq. vagatio, nequaquam incedit, sed errat. Cum dicit his amplius ne requiras: faciendi enim libros nullus est finis, sacros libros intellexisse arbitror: quos vel ipse, vel pater eius Dauid, vel Moyses scripserat: qui ad verè salutarisq. scientiæ studiũ abunde sufficiunt. Hi enim tantisper erudiunt, vt ex eorum doctrina ita in Deum credamus, ita eum agnoscamus, vt timor in nobis Domini suscitetur; ideò addidit, finem loquendi omnes pariter audiamus. Deum time, & mandata eius serua: hoc est omnis homo, quasi dicat in hoc hominis ratio vniuersa consistit: ita vt siquis Deum non timeat, non solum non sit sapiens, sed ne homo quidem. Hoc igitur timore vacui in sacris sæpe literis, cum iumenta dicuntur, tum similes asseruntur bestijs. Timoris virtus. *Omnis siquidem in eo libro inanis Philosophorum curiositas peruagatioq. innuitur: quot, & quanta eorum ruinæ, quam irritus labor, quam vana inquisitio extiterit, demonstratur. Postremò igitur, vt quid initium sit sapientiæ, doceat, ad eum timorem*

rem

rem audientes, seu legentes inuitat, quum & ipsemet in parabolis, & Dauid in psalmis principium sapientiæ appellare non metuit, ita vt incipiãt homines fieri sapientes. Idem Dauid in psalmis proclamat dicens: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. hunc timorem Iob, nedum initium dicit sapientiæ, sed ipsam sapientiam appellare non dubitat, & Dauid alibi ait: timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.

Longe alia via hæc est ab ea, qua Philosophi ad sapientiam peruenire contendunt. Scio complures has tam rigidas, tam incultas, aut etiam tam horridas ad sapientiam perdiscendam semitas seu miraturos, seu reprehensuros. Verum si qui sapiant, contraria iudicabunt: nulla enim vera via est alia. Philosophorum vanitas.

Non tamen negarim, literas discendas esse: sed literatos licet, nisi via hac incedant, numquam penitus euasuros esse sapientes. Pythagoras satis egregiè huiusmodi non sophos, sed Philosophos dicendos esse putauit, vt ostenderet semper studiosos esse sapientiæ, numquam nihilominus fore sapientes. sed his omißis de timore ipso iam denique differamus. Licet timor sit paßio quædam; quia tamen hic, de quo loquimur, in electionem venit, Pythagoras.

ceu virtus accipiendus est: vt autem, quo pacto cum ipso timore nos gerere debeamus, manifestius constet, plura monenda sunt, & de pietate, alijsq. permultis, vt viam perueniendi ad numen aptè, commodeq. sternere valeamus, differendum. Timor planè malus, stulta, sed bonus, sapiens cautio dici potest. Vna est numinis voluntas, quæ per se bona est, iusta, ac pia, quæ in diuina lege, præceptis, decretisq. cælestibus explicatur: qui inhæret huic uolũtati, pius, qui autem ab ea discedit, superbus est appellandus. Inde autem scriptũ, initium superbiæ hominis apostatare à Deo: vt autem pietatis est inhærere velle numinis voluntati, sic timoris nolle ab hàc voluntate discedere: ea igitur omnia molitur, vt quam arctius ipsi numinis voluntati inhæreat: hic omnia patitur, vt ab ea nullo modo discedat: ea facit, tentat, aggrediturq. vniuersa, vt vnum fiat pij hominis, ac numinis studium: hic cuncta vel extrema, aspera, dura, tristiaq. subit, ne alius sit timentis Deum nisus, quam Dei. Amborum vna est charitas, vna iustitia: eo enim quod numen admodum diligunt; vnicuique ius suum tribuere, debitum reddere, æqua si poßint, rependere moliuntur. alter solicitus est, vt faciat omnia, quæ ei grata esse intelligit:

alter

alter cauet nequis perpetret, quod ingratum aliquo illi pacto fore suspicatur. Alter enim ei placere studet: alter displicere formidat. hinc meriti, culpaq. seu peccati ratio qua sit, facile noscitur. Ille enim qui Dei voluntati in cunctis concordat, Dei ipsius gratiam promeretur, et iustus est, sanctus, ac pius; qui discordat, in culpam incidit, & iniquus fit, peruersus, atque impius.

Hac tria eò quod idem fere significant, ad libitum pro ijsdem capiam. Is autem laborat, vt sit pius; hic vero ne sit impius. Est ergo pietatis, vt omnia tentemus, aggrediamur, patremus, ut simus iusti, sancti, ac pij: timoris verò est omnia moliri, omnia subire, ne impij, peruersi, iniqui efficiamur. Amborum verò est, vt intenta obtinere valeant: ceu instrumenta quadam ea, qua dicuntur passiones, assumere: ac ita protecti scuto fidei, spei, & charitatis rectè metuunt, audent, dolent, gaudent, optant, fugiunt, amant, odiunt, sperant, desperant, irascuntur, ac non irascuntur. Cum enim hac à pijs Deumq. timentibus fiunt, magni equidem efficiuntur meriti: talibus enim vel passiones optimè suffragantur. Impij verò ad pietatis facinora ysdem armari consueuere. sed is qui Deo inharere, ac iungi laborat, de bonitate, et miseri-

sericordia illius præsumit, & pius appellatur. Deum enim non nisi per Deum adire aliquē posse nouit. Qui autem ne à Deo, hoc est à Dei voluntate discedat, cauet, Dei iustitiam, & æquitatem considerat, quibus ab se culpam non cauentes repellit: pius, misericordias, ait, Domini in æternum cantabo. Timens autem, misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Alter dicit, quàm

Dauid. *suauis est Dominus sperantibus in eum? sed alter: vereor omnia opera mea, sciens quod parcas delinquenti: pius igitur erigitur spe bona; timens autem cautione sancta dimittitur: pio passiones illæ, quæ bonum respiciunt, magis suffragantur; spes videlicet, gaudium, amor, desiderium, & alia id genus; timenti autem hæc: quæ malum intuentur, scilicet desperatio, dolor, odium, fuga, atque ira: ille spem ponit in Deo: gaudet ob Dei bonitatem; amat eius pulchritudinem, ac maiestatem; desiderat visionem, audet rectè, ac præsumit de ipsius pietate, ac misericordia: hic autem desperat de rebus quotidie labentibus: dolet ob culpam, odio habet peccatum, fugit delinquendi occasiones vniuersas: irascitur in ea, quæ in cauenda culpa eum impedire videntur: timor tamen pietasq. vnum in hac via gradum efficiunt: sed vt plenius horū*

officia enitescāt, aliqua rursus adÿciam: non enim procedere vltra valent, nisi etiam alia arma sumant, alÿsq. adminiculis fulciantur.

Pius igitur timor à sinistris fortitudine, à dextris temperantia armatus incedit. Prudentia verò hunc iugiter comitatur; quæ innumeris semper vigilat oculis, omniaq. circumspicit: hæc produ͞tur insidiæ, hæc pugnandi contra monstrorum artem rationem docet. Monstra quæ terrent nos hic, vt sunt ærumnæ, calamitatesq. variæ, fames, videlicet, sitis, frigus, paupertas, iniuriarum contumeliarumq. multimoda genera: carceres, ergastula, supplicia, cruciamenta, morbi, ægritudines, ac etiam mors, & alia innumerabilia malorum genera, quæ patientiæ, constantiæ, magnanimitatis, perseuerantiæ, ac longanimitatis, quæ partes sunt fortitudinis, gladio, prudentiæ arte, ac lege temperato, uincuntur, deÿciuntur prosternunturq. vniuersa. Insidiæ verò quæ blandiuntur, diuitiæ honores, gloria, imperia venerea, commessationes, ebrietates, ocium, delitiæ omnimodæ, & alia omnia illecebrarum genera, quæ extra viam nos trahere moliuntur, temperantia, temperantiæq. partibus vniuersis reÿciuntur. Timoris pij effectus.

Pius autem timor sibi, ne mollia, dulciaq. horum

rum blandimenta audire valeat, iubente prudentia obstruit. Ac ita ambulans, fortitudinis, temperantiaeq. praesidio tuto viam incedit. Sed alijs ad praesens omissis, de duabus tantum temperantiae, videlicet & fortitudinis partibus eloqui statui: humilitate, scilicet & magnanimitate. Humilitatis quidem est demitti: magnanimitatis efferri, sed recta ratione. Superbia quae est peruersus celsitudinis appetitus, à magnanimitate, humilitateq. inuaditur, ac deijcitur. Vt autem initium superbiae est recedere à Deo: sic humilitatis est accedere ad Deum: Magnanimitatis verò, quae est rectus, ac sanctus celsitudinis appetitus, qui quodammodo similis videtur esse superbiae, est sequi Deum, diuinitatem expetere, quaerere, & alijs omissis omnibus, diuinis tantummodo inhiare. sed haec etiam omissa de humilitate tantum, & superbia videamus.

Humilitas. Magnanimitas.

Superbia. Humilitas.

Superbia omnium malorum, humilitas omnium bonorum initium. Causa autem huius est, quia ea repugnat resistitq. summo, & incommutabili bono, haec inhaeret. Illa sibi, haec verò Deo confidit: illa exultat, haec timet: illa omnibus superesse, haec omnibus subesse laborat: illa nec Dei ipsius ope indigere se putat; haec ab omnibus auxilium

lium postulare non erubescit: illa omnia per se posse se putat: hæc nihil in se, in Deo cuncta se posse fatetur. Hæc Deo; illa autem sibi met omnia tribuit: Hæc Deo pro omnibus ab eo acceptis bonis gratias agit; illa vero tanquam ipsamet sibi ea tradiderit gloriatur: Hæc esse: Illa autem videri magna laborat: Hæc vel quæ habet bona dissimulat; illac verò quæ non habet, habere se fingit. Hæc vni Deo: Illac solis hominibus placere contendit. Illa iactabunda: hæc verecunda est; Illa insolens; hæc communis. Illa confidens est; hæc cauta: Hæc intus vulgo dissimilis est fronte similis. Illa tristis; hæc indulgens. Illa atrox; hæc facilis. Illa iudicat, damnatq; alios; hæc miseretur. Illa aliena scrutatur; hæc sua. Illa exultat lapsu proximi, quasi ipsa steterit; hæc autem timet, & cauet, discitq; in proximi ruina, quo pacto ipsa stare deniq; valeat; Illa inualida est: hæc beneuola. Illa honorari gaudet; hæc honores contemnit. Illa cælo Angelos deturbauit, hæc homines in cælum euehit. Illa paradisum amisit; hæc recipit. Illius liuor primum terram fraterno sanguine madefecit; huius verò charitas denique expiauit. Illius veneno olim Pompeo, Cæsareque infectis, alter æqualem sibi; alter maiorem se pa-

ti non potuit. Illa persuasus Alexãder Macedonũ Rex, & deus credi voluit, & adorari sustinuit. Illa in super Iouis, Dionysii, Herculisq. vanitati insolentiaq. fortuna fauente, deos demum credi, & adorari ingenii astu, arteq. & quæsiuit, & tandem obtinuit. Illa ex hominibus, Caligulam, Neronem, Domitianum, Diocletianum, innumerosq. alios monstra taterrima reddidit: illa, ne multos prosequar, Catonem, qui dicitur Vticensis, vt sibimet mortem consciscerret, instigauit, qui ne tyranni vultum aspiceret, tyrannis crudelior factus est omnibus. Illa Lucretiam Sexto Tarquinio in stuprum aßentiri; se autem subinde interficere impulit.

Superbia, bella, discordiaq. cientur. Superbia Hæreticos in veritatem sæpe agnitam insurgere debacchariq. coegit. Hac rursus hi qui Philosophi dicuntur, & insanierunt olim, & adhuc haudquaquam minus insaniunt. Eadem vel Ecclesiasticos principatus in tyramnidem ferè omnes redegit. superbia homines cum immortales eßent, mortales constituit: linguas confudit, orbem vniuersum & vastauit sæpe, & adhuc vastare non desinit. Humilitas verò contraria & fecit semper, & facit: hæc à timore nascitur Domini:

& ideo

& ideo cum timor dicatur initium sapientiæ; humilitas illa est, per quam quis sapiens, & dicatur efficitur. Cum vero demum à charitate perfecta timor foras emittendus dicatur, quoniam pœnam habet: Humilitatem exaltatum iri denique perhibetur: hinc Præceptor optimus, nedum humilitatis præcepta saluberrima tradidit: sed exemplum se omnibus humilitatis constituit: ait enim: tollite iugum meum super vos, &c. & discite à me quia mitis sum, & humilis corde: & cũm forma Dei esset, exinaniuit semetipsum &c. hic qui mitem, & humilem corde se dicit, via est, qua incedendum esse asserimus, qui si humilis est, & via humilis: si autem via est qua ad vitam pergitur, ea rursus via est, quam arctam, & portam quam angustam ipsemet asserit: quæ eodem teste, ad vitam deducunt. Via igitur arcta, quæ alia est quã humilitas? porta angusta quid aliud quam Domini timor? huius enim initium, & ideo porta, qua in viam intratur: hæc autem via est, qua incedimus, per quam paucos ingredi asserit: pauci enim & Deum timent, & humilitatis bona tum norunt, tum diligunt: Quin proh dolor omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq. ad vnum: Do-

Matt. 11.

Via arcta ad Deum est humilitas. Illa angusta Timor Domini.

Psal. 13.

minus vt idem ait, populum humilem saluum faciet, & oculos superborum humiliabit: humilia
Psal. 112 *enim vt alibi dictum est, respicit in cœlo, & in terra: nec vt dicit Esaias, & ipsius spiritus nisi super humilem, & quietum, & trementem verba eius requiescere, morariq. dignatur. inde dictum*
Humilitatis Virtutes, & præstantia.
Psal. 50. *cor contritum, & humiliatum Deum minime despecturum: Hac scientia quæ vna, vera est ac salutaris, ab omnibus ferè contemnitur: homines autem magni alicuius torrentis more, nec rupes, quibus iugiter corruunt, nec gurgites, quibus magno in tartara impetu deturbantur, seu intueri, seu animaduertere, aut certè cauere videntur.*

Hanc vitam miseri amplectuntur; quæ tam rapida, tam præcipiti celeritate diffugit, tam confragosa, horrendaq. tempestate, & impetu labitur, vt vix finis à principio discerni, vix gustari, vix inspici possit: hi tamen consuetudine aliorum rapti, propria verò stultitia impulsi, nec vitam fugere, nec mortem sequi, ceruicibusq. imminere iam sentiunt: quo fit, vt hac paucos via ire contingat. Sed de his alias.

Ad humilitatem nos referamus. Is idem qui
Math. 7. & 21. *viam hanc arctam, portam verò angustam esse*
Matt. 11. *dixit, iugum suum suaue & onus denique leue fo-*

re te-

re testatur: qui cum ante mortales oneribus huius vitæ, malorumq. sarcinis pressos vocaret: Venite ait ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: discite à me quia mitis sum, et humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Si Deo credimus, ad eum solum confugientes, & ab eo vno discentes, requiem animæ inuenire non ambigimus. Cui cum nullus fere credat, nullus obtemperet, fit vt nihil miserius, nihil infelicius homine aut reperiri, aut fingi iam possit. Si autem ad eum confugimus; ab eoq. qui vnus præceptor verus est, discere perstudemus; vbi nos fide, vbi timore Domini, pietateq. armauerit, primò humilitatem docebit, deinde paupertatem, tertio mansuetudinem, quarto luctum, quinto nos iustitiam esurire, ac sitire, sexto misericordes fore, septimo mundo corde, octauo pacificos esse, & præcipiet, & docebit: singulis horum magna, atq. inaudita præmia, & proponens, & spondens.

Ibid.

Ibid.

Erit igitur tertius huius viæ gradus paupertas, nedum quæ actu relinquit omnia; sed quæ cum diues sit, non sibi, sed Deo cui cuncta debentur possidet vniuersa. Est igitur paupertas, rerum omnium, quæ dicuntur fortunæ, aut contemptio,

Paupertatis gradus

ptio, aut caussa honestatis, honoris, summi numinis, benignitatis, liberalitatis, magnificentiaq. possessio. Magnum prorsus est inclytumq. in diuitijs, opibus, & copijs paupertatis decus, & specimen inueniri: non enim diuitijs, sed diuitiarum possessoribus auaritiæ facinora, ac vitia adscribēda. Ibi autem vera paupertas, vbi veræ beatitudinis, veræq. miseriæ inopiæq. cognitio. Magni animi est, magna, excelsa, verèq. omnia excedentia exuperantiaq. appetere. Exigui verò exigua cum mirari tum diligere, atq. amplecti. Sed nulla magna nisi æterna sunt; nulla parua, nisi mortalia, & corruptioni, casibusq. obnoxia.

Vere pauper quis

Ille igitur verè pauper, qui illis inhiat, hæc aspernatur: inde fit vt nemo verè paupere ditior: eius siquidem diuitiæ in cælestibus thesauris abscondita sunt, & nullis furibus, prædonibusq. exposita. Si igitur vir huiusmodi habet diuitias, liberalitati, beneficentiæq. impendat: si autem non habet, Deo agat gratias, qui tam graui eum, tam molesto, ambiguoq. onere liberauit. Alti animi nullus esse potest, qui amore diuitiarum vel minimo quatitur. Diogenes enim, licet vere Cynicus, Alexandro tamen contemptu diuitiarum ditior extitit: ille enim multis, hic nullis penitus, indigebat. huic

Diogenes

nulla,

nulla, illi innumera maximaq. deerant. huic dolium ad habitandum sufficiebat: illi mundus vnus nihil penitus videbatur. Indeq. de eo rectè loquitur quidam dicens: Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis: & : Aestuat infelix angusto limite mundi. Poetæ dictum.

Non necessariorum solicitudo improbanda est, sed superflui: nulla tamen, teste Euangelio, deerunt quærentibus regnum Dei, & iustitiam eius. quin additur: hæc omnia, necessaria videlicet, adijcientur eis. Hac rursus de causa dictum est in psalmo. Iunior fui, etenim senui, et nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Nullus igitur à numine deseri se arbitretur, qui ob amorem ipsius opes contempserit. Si aliquando tamen se ab eo desertus esse sibi videatur, sustineat eius correptionem; eius flagellis, ac verberibus minimè animo frangi se sinat; flagellat enim, vt scriptum est, omnem filium quem recipit: quem autem, vt ibidem dictũ est, diligit, corrigit, & castigat. Non enim tum deserit nos, sed probat: non odio, sed paterna solicitudine, ne vitijs diffluamus, verberibus arcet. Si igitur, vt scriptum est, diuitiæ affluant, noli cor apponere; si vel necessaria desint, noli spe bona destitui. dicitur enim apud Iobũ: Beatus homo qui corripitur à Deo

Matth. 6
Psal. 36.
Paupertatis effect.
Hebr. 12
Psal. 61.
Iob. 5.

à Deo. correptionem ergo eius ne reprobes, quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt. Illud potius mente voluta, quod
Psal.75. *ait David: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis omnes viri diuitiarũ; id est, omnes diuites, qui quam pauperes sint, mors demum declarat.*

Saluatoris dictũ. *Horribilis plane est locupletibus illa sententia Domini, asserentis, quod videlicet, facilius sit Ca-*
Matt.19. *melum ingredi per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum cœlorum. Sint ergo diuitiæ nostræ, spes regni cælestis, vbi vera est sufficientia, vbi opes immarcessibiles; ne à via in cælum nos ducente aberrare contingat; his diuitijs ille abun-*
1. Cor.6. *dabat, qui aiebat: sumus tanquam nihil habentes, & omnia possidentes; nihil planè viro habenti Deum deesse aliquando potest: indeq. aiebat alibi: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei. Nam quid, vt ait Euangelium, nobis prodesse potest, si totum mundum lucremur,*
Matt.16. *anima verò nostra detrimentum patiamur? pauperes igitur animo saltem simus, nec vereamur a numine sperni; si non omnia ob ipsius amorem penitus reliquerimus. Ille enim (vt ait quidam) magnus, qui in diuitijs pauper est: ille verò mi-*

nimus.

nimus qui in paupertate diues: licet tamen, vt ait D. Ambrosius, in pecuniarijs copijs multa sint lenocinia vitiorum; plerumq. tamen sunt adiumenta virtutum. Opes igitur non à fidelibus seruis, sed à fictis, atq. infidis amoueantur: illi enim semper bene ijs vtuntur: hi semper male: imbecilla, atq. exigua, non magna atq. excelsa virtute præditis opes auferantur; illi enim earum illecebris: & copia illecti in vitiorum abrupta facilè corruunt: hi autem tanta magnificentia, tanta pietate, tanto numinis honore expendere eas curabunt, vt potius ijs eas dari quam auferri æquũ sit. eæ nec Abrahæ nec Dauid, nec innumeris alijs nocuisse, sed profuisse potius visa: eo autem quod quidam non re, sed affectu diuites extiterunt, non dicitur, beati pauperes tantum, sed adijcitur spiritu, vt non re sed voluntate, pauperes, à Domino laudari pernoscamus. In hac sanè via, qua in cælum homines educuntur, nullus non hoc pacto pauper ingredi posse se putet. ne sarcina igitur diuitiarum pressus, atq. oneratus protinus obruatur, expeditius tantum hanc ingredi viam præsumat. Videndum rursus, quis vere pauper, quis verè nudus eum sequatur: qui vbi caput reclinaret suum in terra minime habuisse se asserebat:

D. Amb.

Pauperes spiritu qui dicantur.

qui in stabulo natus, pannis, ac centonibus inuolutus, & in præsepium reclinatus est. Ille siquidem pauper, qui non solum opibus, & copijs caret omnibus, sed amicorum, propinquorum, affinium, & aliorum id genus ope, & auxilio destitutus est omnium, qui in Deo vno suam plenè, atq. integre spem collocauit, qui contempsit, quiq. indigna existimatione eius nouit vniuersa: cui Deus est omnia, cui sine Deo inanis est possessio omnium: hic vere expeditus, hic nullis sarcinis onustus, non solum incedit hanc viam, sed nullis repagulis, nullis obicibus retardatus percurrit: hic planè verba illa audit Domini dicentis. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: quo fit, vt nemo hoc paupere ditior, nihil hac inopia opulentius, nihil hac egestate locupletius, abundantiusq. sit atq. vberius: sed dicet aliquis.

Verè pauper quis, & quæ sit.

Matt. 5.

Dubitatio

In hoc statu institutio potius quædam vitæ est, quàm aliquod sapientiæ seu studium, seu præceptio. puto sane plerosq. hoc pacto fuisse pauperes, qui tamen sapientes non extiterunt.

Psal 13.

Nonne magna, ac sapiens prudentia illius esse videtur, qui adeo Deum, mundum, seque ipsum agnouit, vt temporalium rerum vanitate calcata, non nisi numinis cum visioni,

tum fruitioni, complexuique coniungi suspiret?

Vniuersus ergo orbis, hac varietate, hac amentia, furijsq. agitatus insanit, & phrenesi quadam illusus, ac dementatus bacchatur. Responsio.

Proh dolor longè tristius, ac vecordius se habent vbiq. mortales paupertatis contemptu, diuitiarumq. amore acti, quàm quis intelligere, vel ego dicere valeam. Nosti quis ille sit, qui hæc loquitur? Quid videlicet per tormenta coactas, Iuuenal. Satyr. 14.

Cũ furor haud dubius, cũ sit manifesta phrenesis,
Vt locuples moriaris, egenti viuere fato:
Interea pleno dum turget sacculus ære
Crescit amor nummi quantũ ipsa pecunia crescit.

Vide quæ pestis sit diuitiarum amor, quippe qui copia inops, inopia autem miser, rapidusq. efficitur: has, vt ait quidam, nemo vnquam sapiens concupiuit: sed auri immensa hæc fames licet vorauerit omnia; nunquam tamen non solum sedatur, sed acrius pabulo incrudescit: hoc monstro nullum aliud sæuius, atq. immanius: hoc per vniuersa iãdudum vbiq. grassatur: hoc hominum homines omnes inimicos cõstituit: hoc humanitas, mutuaq. charitas adeo iam extincta, vt nullus nec fratres, nec parentes agnoscat: Suimet ferè omnes studio, amoreq. incensi Deum contemnunt, legum

Maiestatem, sapientum monita, ac præcepta irrident vniuersa. Sed his relictis, non enim digna sunt, de quibus verba fiant; ad paupertatis considerationem iam reuertamur. Ait sapiens quidam, cum Romanorum mores exagitat, nullum crimen abest facinusq. libidinis, ex quo paupertas Romana perijt. Mores enim paupertas hominum moderatur; diuitiæ efferunt, atq. corrumpunt. Nulla in vrbibus diuitiarum cultoribus pestis lætalior: Diuitiæ enim ciuilitatem, & æqualitatem tollunt: paupertas custodit, atq. conseruat: diuitiæ homines in beluas: paupertas beluas conuertit, in homines: paupertas paruo, suaq. conscientia contenta est. diuitiarum sitis omnia tentat: omnia, vt extinguatur, peruolitat.

Discrimē inter paupertatem, & diuitias

Hor. lib. 1. epist. 1. epistola ad Mæcen.

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare pauperiē fugiens, per saxa, per ignes.

Paupertas verò cū mundi contemptu diues sit, nec maris, nec latronum, nec fluminum, nec ferarū discrimina aut adit, aut aliquando tentat: non enim peregrinis indiget mercibus, sed paruis minimisq. contenta miratur Epicurū: Christi verò cultoris miseretur. Ille enim licet voluptatis assertor, paupertatem & amauit, & coluit. hi, quibus æterna bona, si mortalia despiciant, promittuntur,

non

non solum oderunt; sed vt ab se amoueant, ab omnibus sceleribus, omnibusq. facinoribus se abstinent. sententia fortaßis mutanda est, vt in aliquibus plus philosophos laudis quam Christianos meruisse dicas. Socrates pauper nō necessitate extitit sed voluntate, vterq. Crates, diuitijs contemptis, Antisthenis, ac Diogenis vitam institutumq. & amarunt, & consectati sunt. Modo vero etiam ipsius paupertatis nuditatisq. professores multas mihi ob causas suspecti redduntur. Sed de his alias: satis est attigisse, & experimento claret. Socrates. Crates.

Laudanda enim paupertas, etiam si pauper, qui vere laudari possit, nullus penitus aut sit, aut certè ipse agnoscam: sed quid multa? absq. ea de qua loquuti sumus paupertate, ad vitam immortalem nullus admittitur. Sine paupertate ad uitam admittitur nullus.

Sed quartus huius vitæ arduæ, atq. angustæ gradus est mãsuetudo, qui sumitur ab eo, quod ait Dominus. Beati mites, quoniam ipsi poßidebunt terram. Mansuetudo est iræ carentia, seu vacatio. Ille autem dicitur mitis, qui iniuria licet pergrandi accepta, nec irascitur, nec in eum, qui lacessierit, qui læserit, qui iniuriam irrogarit, vltionem aliquam meditatur, qui vlciscendi tempus nec operitur, nec obseruat: licet expoliatus, *Matt. 5.* Mansuetudo quid. Mansuetudinis effectus.

cæsus,

casus, vulneratus, & quocunq. modo cruciatus, atq. afflictus, licet infamiam, calumniamq. perpessus, licet potentia, honoribus, dignitatibusq. detectus: licet liberis amicis, bonisq. deniq. omnibus iniustè priuatus. Differt inter paupertatem, & mansuetudinem, quod paupertas contemnit sua, hic etiam seipsum: paupertas videt, ac fatetur insufficientiam cũ rerum temporalium, tum suam: mansuetudo adeo corpus, corporisq. bona vilia, caduca, fragiliaq. intelligit, vt nec æstimare ea, nec diligere valeat. quo fit, vt si in ijs lædatur, lædentem odisse non posit.

Discrimẽ inter paupertatem & mansuetudinem.

Est præterea ita humilis, vt dignam se omni penitus iniuria arbitretur. Cogitat deinde Deum permittere talia, vel in viros iustos, ac pios irrogari, vt eos exerceat, vt corruptilia contemnere doceat, vt meliores efficiat: quo fit vt de omnibus agat Deo gratias, & non iniuriam inferentem, sed Deum permittentem intueatur. Quapropter nihil nisi sua merita mitis vnquam incusat. Hac igitur, si iudicem eum esse contingat, mãsuetudine tẽperat iudicia: clementia verò sententias moderatur, ita vt sit clementer iustus: iuste autem clemens. seuere itidem misericors: misericorditer seuerus: sicq. in omnibus huiusmodi se gerit, vt

eius

eius mansuetudo æquitate, æquitas verò mansuetudine condiatur. Hæc Principes ac Reges admodum honestat: admodum Deo, atq; hominibus caros constituit. Moysi principatus sui populi à Deo commissus, ac commendatus est, quia fuisse omnium mitissimus dicitur. In Dauid autem mansuetudo admodum laudata est. Ipse autem se Deo mansuetudinis commemoratione his verbis commendat. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius: cum verò alibi dixerit. In Domino laudabitur anima mea, adiecit, audiant mansueti, & lætentur. Hæc Cæsarem licet ambitione, ac fastu in primis elatum, sedata tamen præliorum rabie, atq. incendijs, ita per orbem vniuersum clarum omnibus, & admirabilem reddidit, vt inde plus laudis, quam ex victorijs, magnisq. alijs facinoribus acquisierit. Inimicis enim vel grauissimas iniurias semper rogatus, ac etiam nō rogatus dimisit. literas ne inimicorū nomina ibi contenta nosse posset, ciuili animo suscepit, non inspexit. Pōpeij Magni capite inspecto illacrymauit: in se, suumq. caput coniuratos quod sibi eorū consilia prodita essent edicto tantū admonuit: innumera alia humanitatis, mãsuetudinis, misericordiæ argumenta pluries dedit. Hūc vel

Æquitas & mansuetudo ad inuicem moderantur.

Moyses mitissim'.

Dauid mãsuetus.

Psal. 131.

Psal. 131.

Exemplū.

Exemplū.

vel Octauianus licet sero imitatus, plerisq. ma-
Exemplũ. *gnis, qui vt vita simul imperioq. deijcerent, coniu-rauerant, insidiasq. iamdudum tendebant viri-bus, vxoris suasu pepercit: quo factum, vt tan-tum ea mansuetudine, ac facilitate amoris, ac beneuolentiæ apud omnes demum consequeretur, vt nullus in tam bonum vltra principem insidias*
Exemplũ. *moliri vnquam præsumpserit. Titus verò etiam ipse mundi princeps, duobus, qui ex Senatorio or-dine eum & opprimere, & imperio deturbare machinabantur, non solum pepercit, sed etiam honores illis adauxit. Hoc idem rursus cum*
Exemplũ. *M. Antonius alijq. perplures imitati fuissent, tã-tum gloriæ consequuti sunt, tam magna in se cun-ctorum studia incitarunt, vt non solã antiquitas eos miretur: sed vel hac nostra ætas adhuc ma-gnis præconijs in cælum efferre non desinat. Vir-tutum plane decus in Regibus, Principibusq. om-nibus mansuetudo, seu felicitas. Hæc, quemad-modum sapientia Socratem illustrauit, Cato-nem, qui percussus non vendicauit, nec dimisit iniuriam, sed accepisse negauit, magnum cun-ctorum in cælum laudibus extulit: hac mansue-tudine ipsimet nos vincimus, iram frangimus, odium abdicamus: altera maxilla percussi, al-*
tera

teram percutienti porrigimus. Carnis autem, ſeu corporis iniurias beneficia nuncupamus. Vindictam iuxta legis præceptum Deo ipſi relinquimus, intus habitamus: ideo læſiones nobis illatas extrinſecus non ſentimus: terram illi poſsidere dicuntur, qui carnis ſuæ paſsiones ſibi ſubyciunt: niſi enim hoc modo ſeipſos poſsideant, paſsioni potius quàm rationi illos ſuccumbere manifeſtum eſt. Mãſuetudinis effectus.

Magna res manſuetudo, quæ non tantum natura, vt eſt in multis, ſed electione, ac vero, pioq. iudicio ſemper ducitur. huic affectus mali cedunt omnes; huius tranquillitas ſemper turbatur, huius iudicium ſemper confunditur. Eſt enim, irarum, indignationum, odijq. non ſolum moderatrix, ſed victrix. Maledictis in ſe intortis, ſedato, ac quieto animo benedicit, læſa iuuat, offenſa benefacit: odio inflicta amat, atque complectitur infligentem, crudelitatem, ac ſæuitiam perhorreſcit: & quia poſsidet terram, omnes ſibi parere affectus cupiditatesq. compellit. Vna libera eſt in cunctis: nulla enim cum iniuria, tum læſione ſubigitur: & quia ſe odit, etiam inimicos odiſſe non poteſt. Vna non ſolum ſuis, ſed vel ſibi ipſi renunciaſſe putanda. Quapropter illa ſola Chriſti poteſt quis vere diſcipulus iudicari. Hæc enim

S & ſe,

& se, & sua Deo consecrat vniuersa, se planè Deo dicat; sed vtile sanè munus, inutilis deditio: dedit enim se, & gratiam, immo ipsum in commutationis adæquatione Deum suscipit: magnum auctionis pretium, magnũ sancti huius commercij lucrum: magna dati compensatio; hæc dedit spiritum, sed spiritus dona multa, magnaq. suscepit: quo factum, vt cum corpus foris relinqueret, ita ab eo summota est, vt mala ipsius nec sentiat, nec si sentit, alicuius æstimet: hac mansuetudine bonam iamdudum viæ, quam ingressi sumus, portionem confecimus, sed maiora, magisq. ardua adhuc supersunt: partes verò quæ sequuntur, superiora maiori in se modo continent omnia; nam hæ nõ succederẽt, nisi illa præcessissent.

Fides in cũctis necessaria.

Fides, vt diximus, quæ per dilectionem, vt ait Apostolus, operatur, vbique necessaria est, à qua Dei timor sanctus, castusq. exoritur: ex timore autem nata, tam magna prouehitur sapientia, vt omnium vanitate perspecta nihil æstimare poßit, nisi quod honesta neceßitas postulat. vnde verè paupertatis decus exurgit; inde autem mansuetudo succedit, qua non solum nostra, sed & nosmet iamdudum odimus. Si tamen quis ista contemnat, eo quod parum conferre animo

videan-

videantur, intellectualia, seu spiritualia recreatura se sperat. Postquam autem hæc iam aggredi, iam sequi, iam meditari contemplariq. inceperit: tenebrasq. vndiq. exoriri perspexerit, maiori nisu molimineq. contemnit, libros inquirit, magistros legit optimos, omnia perscrutatur, omnia curiosè anxieq. mente perlustrat. dum autem varia peruagatur, diligentiusq. vestigat, incidit in illud, quod ait Salomon; dixi sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me multo magis quàm erat: et illud: omnium quæ fecit Deus, nullam potest homo inuenire rationē: et quod ait Ioannes. Deum nemo vidit vmquam; vnigenitus Filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. & alia innumera: quapropter ad se reuersus ipsemet ait quid frustra defatigaris? quid frustra laboras? Cumque insufficientiam rursus suam spiritu contemplatur, verbaq. illa Salomonis considerat, quæ loquutus dicitur esse. Vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum manente confortatus ait; Stultissimus sum virorum, & scientia hominum non est mecum; non didici sapientiam, & non noui sanctorum scientiam, & alia huiusmodi innumera, quæ cum in vnum conflauerit omnia, nihil extra se, nihil penes se, nihil intra se esse, quo finem agnoscere,

Salomon.

Eccl. 8.

1. Ioan. 4.

quo ad eum deduci, quo eo frui valeat perspicit. quo fit vt se ceu mortuum nosse statim incipiat. Vnde quinta iam huius viæ pars sese ostendit, & quodammodo emicare videtur, luctus videlicet, qui propriè est eorum, qui mortuos deflere suos consueuere.

Hic enim cum verè etiam intellectus sui insufficientiam, tenebrasq. inspicit, & extinctum,
Luctus. *ac ceu mortuum animaduertit, luget, deflet, seq. ipsum miserandis modis affligat. Cumque ea spe iam destitui se cernit, quæ vna illi superfuerat, lugubri planctu se acerbissimè macerat. Hic, vt*
Psal. 68. *reor, erat qui ait; infixus sum in limo profundi, & non est substantia: qui cum intelligat, vt scriptum est, quod auxilium suum non est in se, ad*
Ibid. *Deum confugiens ait; Laboraui, clamans raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei dum*
Psal. 37. *spero in Deum meum. et vt alibi dictum est: Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam*
Ibid. *à gemitu cordis mei: miser factus, & curuatus sum vsque in finem, tota die contristatus ingrediebar: & : cor meum conturbatum est, dereli-*
Ibid.
quit me virtus mea; & lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum; & alibi: Colloca-
Psal. 142.
uit me in obscuris sicut mortuos seculi, & anxia-

tus

tus est super me spiritus meus; et in me turbatum est cor meum. & innumera alia, quæ dum se ceu mortuum luget homo, in hac via aliquantulum procedens infremit. sed vt huius status intima sacramenta iam ordine promam, ea quæ à Iob dicuntur, in medium proferam.

Dimitte, ait: Domine me paulùlum antequam vadam, et non reuertar. Qui rectè procedit in hac via, minimè vmquam reuertitur. sequitur: Ad terrã tenebrosam: tenebrosa dicitur, quia in tam densis tenebris esse se cõspicit, vt nihil penitus quod ei consulere poßit, nisi ipsas tenebras cernat: nec parui sanè faciendum, si quis tenebras suas & intelligit, & palam confitetur: ideo autem adijcit opertam mortis caligine, quia intellectus intelligibili optimo, à quo vno & formatur, & ceu viuus efficitur, destitutus, prout mortis opertus caligine; immo veluti mortuus effectus, nihil nisi contra se agit: quapropter subijcit terram miseriæ, hoc est mœstitiæ, luctus, & fletus; hæc enim extinctam lucem omnia subsequuntur: tenebrarum autem dicit, quia illic eæ tenebræ insunt, de quibus scriptum est; Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Duæ enim vt postea ostendemus, ceu noctes sunt: quarum in Iob 10. Ioan. 1.

primis

primis terra hæc tenebrosa est: aliarum autem tenebrarum terra hæc esse dicitur, vbi vmbra mortis: primo dicit opertam mortis caligine, modo vmbram appellat. Sunt enim duo tenebrarum, duo itidem mortis genera, tot enim mortes sunt, quot tenebræ: nam, & visus corporeus amoto lumine, ceu mortuus est. alia enim tenebrarum alia cæcitatis caligo est. Quamobrem alia mors intellectus, quæ est ex cæcitate; alia quæ ex splendoris ablatione, quarum hæc facilè, ea admodum difficile tollitur. Sequitur postquam ait; vmbra mortis, nullus ordo. Non enim vir ibi est caput mulieris. Vbi namq. hæc confunduntur, nullus ordo est: nam mulier est caput viri: Christo autem & Deo minimè subiecta est. quo fit, vt horror ijs sempiternus incumbat: ex tenebris autem, id est intellectus ac mentis cæcitate timent, pauent, horrescuntq. mortales omnes: hæc quidem mysteria nequaquam explicui: non enim forsitan licet huiusmodi aliter aperire. sed vt binas alias alibi noctes intelligas, vltra aliquantulum adhuc non explanando, sed indicando, et innuendo procedam.

Ille plane luctus, ex ijs cùm tenebris, tum mortibus, miserijs, confusione, horroreq. exoritur. Est autem tam acris, vt supra aßignatis modis compreben-

prehendere quis poßit, vt nec solari poßit, nec velit: Quin potius ait, renuit consolari anima Psal. 41.
mea, & fuerunt mihi lacrymæ panes die, ac nocte: et. Laboraui in gemitu meo, lauabo per sin- Psal. 6.
gulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo. & alia id genus; sed hoc pacto à peccatis denique liberatur. Cum enim antea humilis fuerit, hoc luctu tandem nihil effectus est: qua humilitate quid est admirabilius? in eo enim statu ait, bonum mihi, quia humiliasti me: Psal. 71.
& cor contritum, & humiliatum Deus non de- Psal. 50.
spicies. Modo ait: timor, & tremor venerunt su- Psal. 54.
per me, & contexerunt me tenebræ: & non aßimilabor, sed aßimilatus sum descendentibus in lacum: & posuisti me in lacum inferiorem, in tenebris, & vmbra mortis: & ad nihilum redactus sum, & nesciui, & alia plura, quæ supra posuimus: & in sacris literis scripta paßim inueniuntur.

Huius luctus mirabilis est operatio: & ideo Eccl. 7.
forsitan dictum; Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. ibi enim finis cunctorum admonetur hominum; hic prima nox agnoscitur, sed non absque aliquo lumine, quam vt patet Iob desiderare videtur: & indicari alia quadam

dam, noctę sciętiam in libro psalmorum asseritur. Secunda autem nox est, quæ dies prius apparuit, sed vel hæc obscurior priore demum deprehensa est, quam antea visa est: has plane tenebras agnoscere magnum quid bonum est: lucem autem esse putare magnum quid malum. Qui intelligunt tenebras, & mortis vmbram, tamdiu lugent, & ad patrem luminum clamant, vt demum illuminari eos contingat. qui lucem existimant, tamquam in luce gradiuntur, & sibimet de luminis bono applaudunt: quo tamen ambulantes passim impingunt, in foueas incidunt, rupium persæpe abruptis præcipitantur: erroribusq. implicantur varijs: in qua quidem nocte Philosophi, atque hæretici & ambularunt, & ambulant. hucusque dictum, quo pacto anima hominis ad nihilum deducatur, quæ vera est exactaq. purgatio: nam, nisi in homine, quicquid est veteris in eo hominis, ad viuum expietur; ad maiora ascendi non po-
1.Cor. 5. *test: inde dictum: expurgate vetus fermentum, vt*
Ephes. 4. *sitis noua conspersio: exuere autem præcipimur*
Coloss. 3. *veterem hominem, induere nouum, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, et sanctitate veritatis: hucusque veterem exuere conati sumus, sed in sequentibus induere nouum summa ope conabimur.*

mur, si prius quædam explanandi gratia, sanctarum literarum sacramenta dixerimus, quæ idem fere, quod ea, quæ disserimus, continent.

In petitionibus igitur, quæ in oratione, quam Dominus discipulos docuit, septē gradus sunt, qui eo deducunt, quo ipsi modo proficisci conamur, sed nobis incipiendum est ab vltimis: prima enim in ordine excellentiora sunt; verum nobis, qui à minimis incipimus, vltima. Prima igitur sunt ea dignitate, vltima adeptione; aut certè prima in intentione, vltima in exequutione. Ait enim, Pater noster, qui es in cælis, &c. vsque à malo: à malo planè liberamur cum his; quæ dicta sunt ante luctum, luctus gemitu penitus expiamur; immo in alijs partibus expoliamur alijs: in hac expoliamur, eò quod ipsi sumus. Liberari igitur à malo est humiliari, & amore temporalium exui, ad nihilum penè redigi: quia nonnumquam eo statu tentationibus in nos varijs irruentibus deturbamur.

Gradus septē deducentes ad vitam & veram sapientiā.

Prima petitio.

Matt. 6.

Secunda petitio est, dicentis: Et ne nos inducas in tentationem, id est, ne permittas nos tentari vltra quam ferre possumus: ne tentatione ipsa denique superemur. Tertia est; Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitori-

Secunda petitio.

Tertia petitio.

bus nostris: nolumus enim ipsi nobis, nisi debitoribus dimittamus, dimitti.

Quarta petitio. *Quarta: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. panis quotidianus est panis viuus, qui de cælo descendit, cuius sumptione sicut alitur animus noster ad vitam; ita eo ablato emoritur ad mortem. Sed dices, quid hic est panis? ratio quæ dicitur æterna rerum omnium, quod & verbum appellatur, quod à Ioanne in Euangelio vita, & lux dicta est: vita, quia solus viuificus: lux, quia vnum lumen intellectuũ; vt à Dauid, loquente Deo, innuitur cum ait, apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen; sed panis dicitur, quia vnus cibus est intellectus: vita quod absque eo mortuus; lux quòd sine eo cæcus sit animus. Quotidianum dicit, quod quotidie nobis sit apponendus. Hodie autem dicitur, quod præsens significat, eò quod ea vi animi sumendus, qui non nisi æterna percipere potest, quæ sola nec præteritum habent, nec futurum.*

Quinta petitio. *Quinta dicitur: Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra: nam eo pane vescentes homines fiunt ceu Angeli: ita vt iam more Angelorum Dei voluntati obtemperent, nec est eorum obsequium inuitum, sed summa cum voluptate, ita vt*

non

non solum pareant Deo, sed ipsius Dei voluntate suauissimè perfruantur: immo in Dei voluntate omne eorum bonum, ac beatitudo consistit. Sexta igitur, dicitur: Adueniat regnum tuum. Sexta petitio. *Tunc enim perfectè regnat Deus in nobis, cum, in eius sola voluntate manentes, eius regnum moderamur, imperiumq. tanti facimus, vt nihil nobis suauius sit, quam illi subijci, illi obsequi, ei adhærere, eum amare, eo perfrui, & alia huiusmodi exequi omnia. quod vbi factum est, nihil iam restat, nisi vt eum iugiter collaudemus, sanctificemus, magnificemus. Vnde in septima petitione* Septima petitio. *dictum est, Sanctificetur nomen tuum. hoc est, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth in æternum cum Seraphim proclametur, in quo summa est perfectio. Nam tam magnũ Deum agnoscunt, tam sanctum, tam bonum, vt omne eorum denique bonum in ipsius laude reponant. Sunt & alibi horum similia, vt fusius in sequentibus dicemus.*

Tertij Libri Finis.



F. PROPERTII RESTAE DE TALLEACOTIO EPISCOPI GERVNTINENSIS ET CARRIATENSIS.

DE FALSA ET VERA SAPIENTIA.

Liber Quartus.

MECVM equidem animo agitabam, an satius sit, iustitiæ disputationem, quæ modo, vt ordine quo cœpimus, prosequamur, incumbit, omittere, ne idē sæpius dicere videamur: licet quædam de ipsa iustitia dicenda supersint, quæ supra potius perstrinximus, quam absoluimus, an alia subijcere. Verum quoniam numquam ea, ut aiunt, nimis dicuntur, quæ numquam satis discuntur: alio plane illa proposito dicta sunt, quàm hæc dicenda sint. Sexta igitur pars nobis in hoc tractatu declaranda inde obuenit, vnde tres superiores sumptas esse constat ex Domini sermone, qui ait:
Matth. 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam*
Iustitia. *ipsi saturabuntur. De iustitia igitur modo nobis*

loquendum, ſed alia ratione, quam ſupra factum eſt. Magna planè res eſurire, & ſitire iuſtitiam. Iuſtitiam, vt ſupra, pro omni virtute hic accipiendam exiſtimo: miſericordia verò, quæ hanc partem ſubſequitur, huius iuſtitiæ pars eſt, vt dicitur ſuo loco. Cum tria nobis à Dionyſio facienda eſſe dicantur, vt perfectionem attingere valeamus, de vno ſupra diſputatum: hoc eſt, quo pacto expietur animus: duo autem adhuc reſtant, quæ ſunt illuminatio, & perfectio: Aut certè illud quod pſalmus, ait: Diuerte à malo: hæc pars prima eſt, & fac bonum, quæ ſecunda: inquire pacem, & perſequere eam, quæ forſan tertia. À malo receditur timore, humilitate, paupertate, manſuetudine, luctu, quæ ſuperius tractata ſunt. Bonum vero fit cum eſuritur, ſititurq. iuſtitia: hic iam differentia iuſtitiæ, de qua ſupra diſſeruimus: & iuſtitiæ de qua modo diſſerere aggredimur, aperitur. Nam aliud eſt iuſtum eſſe; aliud eſurire, ſitireq. iuſtitiam: Iuſti enim forſan non ſatiantur: eſurientes verò, & ſitientes iuſtitiam, vt ibidem additur, ſaturabuntur. Salomon quidem ait, Iuſtum fame non eſſe affligendum: plus tamen (vt mihi videtur) eſt ſaturare, quàm fame non affligi. Erat profectò dicturus idem Salomon:

Miſericordia ſubſequitur iuſtitiam.

Pſal. 33.

Diſcrimẽ inter iuſtũ eſſe, & iuſtitiam ſitientes.

Prou. 10.

lomon : saturabitur si esuriat iustitiam. Quidam, ut supra diximus, ait: diligite iustitiam, etc. ut ad hanc forsan perfectionem alliceret. sed ad rem denique veniamus. Hi supra priuati sunt omnibus, dum pauperes, dum mites essent, dumque lugerent: ibi enim famem, sitim, frigus, iniuriasq. omnes perpessi: nihil enim inuenerunt quo refici possent: unde factum, ut dum fame, malisq. alijs permultis cruciarentur, iustitiæ illis forma, speciesq. intelligibilis quodãmodo obseruata sit, quam intuentes, & cibum propriè animorum esse intelligentes, ingenti ipsius statim esurie, sitiq. agitari cœperunt. Nec mirum, is enim panis est, qui & viuus esse, & de cælo descendere dicitur; nam (ut
Iob 6. *Apostolus ait: Nobis factus est iustitia, & sa-*
1. Cor. 1. *pientia, etc. nullus quidem esurire potest iustitiam, nisi qui eam in suo fonte perspexerit: illic autem nullus videre eam potest, nisi superioribus lustrationibus expiatus. Iustitiæ pulchritudo quodammodo nota est spiritui nostro, ex quadam cognatione utrique communi. Est enim quædam adæquatio rerum ad personas, et personarum ad res: quæ tam decora est, tamq. naturæ nostræ conueniens, ut etiam iniquis æquitas ipsa & placeat, & ad iustam dilectionem eos, vel inuitos alli-*

Iustitiæ pulcritudo.

alliciat. Quia tamen ſordibus vitiorum, malarumq. affectionum caligine obtenebrati, ipſius formam non niſi per obſcurum videre poſſunt, delectãtur eius aſpectu; nequaquam tamen eius amore ac ſtudio ita mouentur, atque trahuntur, vt alijs relictis omnibus eam vnam eſuriant: hi vero, qui ſuperioribus expiationibus vſque adeo exterſi, ac purgati ſunt, vt mentis eorum acies, nulla tenebrarum caligine iam hebetetur, nullo velaminis obice, ſeù intercapedine ſpeciem ipſius iuſtitiæ, ac decus integrè hauriunt, integreq. cernunt. Inde tanto eius protinus capiuntur amore, tanto corripiuntur deſiderio, vt eam eſurire, ac ſitire rectè dicantur. Optimè verba hæc tranſlata ſunt. nam ſi quis diu fame afflictus nihil inueniat, quo eximere ipſam valeat, tandem cibo reperto fames in immenſum ſtatim excreſcit. Huic enim non niſi lethali infecta veneno aliqua ante reperta, quo factum eſt, vt execratus ſit vniuerſa. Iuſtitia demum panis potusq. oblatus, diuturnæ famis, ac ſitis ſedare malum iam ſperans, eos protinus ſumit, rapit, comedit, bibit, ac denique ſaturatur. Sed quo pacto ſe habeat fames hæc ante contracta primo quærendum. Ad alia deinceps paulatim veniemus. omnium ferè malorum cauſa

huma-

Omnium malorum causa.

humanorum fames putanda. Cum enim alius corporis, alius animi cibus, potusq. sit: cum fames mortales acris perurgeat etiam saturos, nec quiescere vnquam permittat, ad iustitiam conuersi saturantur: Ea equidem sola animi cibus, quo vno fames sedari potest hominum, aut certè à veritate aberrantes aliunde famis ipsius stimulum cieri coniÿciunt: putantq. ipsam denique famem cum molliri, tum eximi posse, si diuites fiant. si honorentur, si imperent, si voluptatibus affluãt; aliÿsq. huiusmodi abundent omnibus. Quod cum sibi persuaserint, exemplo statim innumerabilium eadem auidißimè, ardentißimèq. sectantium impulsi ad ea nullo rationis fræno retenti appetenda, quærenda, ac rapienda denique accinguntur. Si autem non obtinent, haudquaquam mirantur fame se cruciari. Inde enim eadem fame torqueri se censent, quod ÿs careant, pro certo asserentes, vt si ea adipisci contingat, omnem famis rabiem abscessuram. Qui verò omnia obtinent, quæ cupierint; cum famem haudquaquam adhuc sedatam intelligant, inde ipsius famis vrgeri se stimulis arbitrantur, quod pauca sint, & exigua, quæ obuenerint. Immensæ igitur diræ famis cupiditati maiora, pluraque, vt sedari valeat, apponenda

ponenda. Indeq. male sana mens rapidiori ad augenda, cumulandaq. hæc omnia rabie se accingit. Inde Alexandro Macedonum Regi vnus non sufficit orbis, sed maioribus famis acuminibus, cum orbem iam ferè obtinuisset, quam ante vrgebatur. Crassus homo Romanus licet omnium ditißimus, cum pauper adhuc sibi uideretur, in Parthos ingentis spe prædæ exercitum duxit: vbi victus atque interemptus, amorem sitimq. habendi denique terminauit. Hæc Cæsarem in maxima discrimina adduxit; ardua verò omnia tentare coegit. Hæc Semiramidem licet feminam Gangem traijcere: Cyrum Massagetarum vires experiri: Darium in Scythas ducere: Xerxem maria sternere; montes vt aiunt, velificare, Græcosq. bello incessere, à quibus denique victus est, compulit. Dira hos omnes fames per discrimina vagos, errantesq. agebat, parum animaduertentes, non quantitate cibi animum, sed qualitate torqueri. Vnus enim verus ipsius cibus, qui saturare eum potest, iustitia est. Nam cum ait, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, ipsi saturabuntur: ipsi intelligendi sunt tantum, & non alij. Hæc tamen esuries, sitisq. iustitiæ numquam penitus aperitur, nisi cum ea omnia contempseris,

Exemplū. Exemplū. Exemplū. Exemplū. Iustitia verus cibus. Matth. 5.

V quæ

quæ hi vt famis immensæ sedarent rabiem, quæsierunt. Nam licet eadem sit fames, ij tamen cibum sumunt, ac proprium animi: hi verò animo ipsi contrarium petierunt. sed proh dolor nulli persuaderi iam potest, vt credat verum hominibus cibum esse iustitiam. Quapropter diræ huius famis stimulis acti homines, tamquam rabidi
Psal. 58. *canes inuicem se vbique conficiunt. Nam vt ait Psaltes, famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem; circumeunt, non autem ingrediuntur. Ciuitas congregationem iustorum significat, vbi est beatitudo, quam hi in diuitijs, honoribus, imperijs, voluptatibus, & alijs id genus perquirunt: in quibus cum ea minimè sit, ciuitatem circuire hanc dicuntur, non introire: Iusti enim soli, vt alibi scriptum est, intrabunt in eam: ait enim*
Psal. 117. *Dauid: Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eam confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam: hi autem, vt dictum est, famem patiuntur vt canes, circumeunt ciuitatem, non intrant.*

Miseranda planè fames, qua homines acti à nullo omnino scelere abstinent: hæc amant odio habenda: hæc oderunt, quæ erant vt amarentur, dignissima, insaniunt, digladiantur, sæuiunt, efferan-

ferantur, & dentibus belluarum more infrendunt. Hac ambitio incrudescit, ardet ira, liuet inuidia; hac sæuit superbia, auaritia populatur: hac gula insanit, libido obscœnitatibus, ac lasciuia præceps fertur in coitum: hac sapientia Salomonis insaniuit: Aristotelis acumen hebetatum est: Epicuri voluptates principatum vbique gentium tenuere: Aristippi verò dogma cunctis re ipsa præualuit. Fame enim rabida mortales aguntur, donec iustitiam esurire, sitireq. incipiunt: hac, cum corpori vanitatibusq. inseruiunt omnibus, animus fame, sitiq. incensus exæstuat. 3.Reg.11.

Quanto autem ijs magis abundat, tanto maiore laborat inopia: tanto alget acrius, tristius contrahitur. Copia igitur inops effectus, ditatos egestate, saturos fame, honoratos ignominia, potentes imbecillitate, sapientes huius sæculi inscitia, voluptatibus deditos dolore atque ægritudine: & alios alijs iugiter malis is male affectus animus excruciat. Inde fit, vt semper huiusmodi furijs agi tartareis, si intus inspicias, animaduertas: hac fame iustus numquam omnino torquetur: inde dicitur: Numquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Inde de muliere forti dictum; facta est sicut nauis institoris Psal. 36. Prou. 31.

de longe portans panem suum, de longe, hoc est de cælo.

Psal. 77. *Cum autem dictum sit panem Angelorum manducauit homo, licet de manna intelligendum sit, de iustitia tamen, quæ & ipsa quoque verus est mentiũ cibus, intelligi posse videtur. Inde Isaias*
Isa. 33. *postquam dixit: Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, &c. subdit: iste in excelsis habitat: munimenta saxorum sublimitas eius: deinde adijcit: panis ei datus est, panis is videlicet, qui vnus satiare posse supra ostensus est.*

Sed vt rationem iustitiæ, qui panis est viuus, diligentius perscrutemur, quæ, & quales sint hæ iustitiæ, quæ plurali numero positæ sunt, inquiramus. Sacræ literæ plurali has numero pluries po-
Psal. 18. *nunt, vt hic: & ibi: Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda. Est siquidem iustitia, quæ est in homine, cuius operatio, cum personarum, tum rerum, temporum, obiectorumq. gratia sæpe mutatur, ita vt non sit vna Iustitiæ ratio, sed plures: quam ob causam plures dici videntur. Ambulare igitur in iustitijs, est, iustum se vbique præstare: ille autem iustum se præstat in omnibus, qui Dei voluntati, ac legi semper, & in cunctis concordat, quo fit, vt aliquando iustum sit occidere*

homi-

hominem, vt de Phinees scriptum legimus; qui cum zelo religionis, ac pietatis, Hæbreum cum alienigena coeuntem interfecisset, adscriptum est illi ad iustitiam; licet lege homicidium vetaretur. sic è contrario parcere alicui, iniquitati est attributum. Illi qui iussu Moysi interfecerunt eos, qui vitulum & conflauerant, & adorauerant, ab ipso Moyse audierunt, hodie sacrastis manus vestras Deo. Iustitiæ igitur humanæ plures dicuntur: eo quod actione multiformis est ipsa iustitia: sed hæc omittamus. Ille igitur, qui in iustitijs ambulat, paulatim eò ascendit, vbi vna æterna, & absoluta est iustitiæ ratio: ambulare enim in iustitijs est Deo in omnibus adhærere: qui autē adhæret Deo, ab humanis auertitur, quin ab imis ad summa, à paruis ad magna, à mortalibus ad immortalia, atque æterna transfertur: quamobrem paulopost subditur. Iste (hoc est is qui ambulat in iustitijs) in excelsis habitat. ex operibus iustitiæ soluitur ab ijs omnibus, à quibus eos, qui lugent, solutos esse ante monstrauimus. Esurire autem iustitiam nihil aliud est, quam iustitiæ inhiare æternæ, eiq. vni & animum intendere, & coniungi moliri. Qui itaque huic iustitiæ vni incumbit, ab humanis ad diuina, ab imis ad summa transfertur, indeq. vt

Num. 25. Psal. 105. Exod. 32. In iustitijs ambulare.

dixi-

diximus, in excelsis habitat. Sed antequam vlterius progrediamur, videndum cur esurire, & sitire iustitiam hi asserantur. Duo, vt mihi videtur, circa iustitiam sunt desideria. primo cupimus iustitiam, id est habitum iustitiæ contemplari: tantoq. eius erecti radijs, gratiaq. promoti efferri, vt ei quandoq. iungamur: nouimus enim numquam nostram perfici, & consummari posse iustitiam, nisi illa nos foueat, complectatur, roboret, et tamquam in se nos quodammodo transferat. quo cum euecti fuerimus, ipsam propter se iustitiam, et esurimus, & sitimus; nam illa in nostra, & nos in illa perstamus: licet haud satis intelligam, an nostram appellare possimus, cum eo statu Deus sit omnia in omnibus, ita vt in illo simus, viuamus, sapiamus, &c. Hic igitur (vt ad proposita redeam) habitat in excelsis, in illa, videlicet iustitia, quæ excelsa est, ac summa, qua inuicti, atque insuperabiles reddimur; ita vt semel in die pro hac iustitia mori oporteat, semper parati simus, semper alacriter, et erecto animo ipsius gratia, & pericula varia adeamus, & mala intolerabilia constantissimè, nullaq. mutatione animi subeamus. Sequitur, munimenta saxorum sublimitas eius: quo innuitur, non solum, vt spe sit sublimis,

Desideria duo circa iustitiam.

sed

ſed inexpugnabilis, vt arces, loco, & murorum ambitu inacceſſæ conſueuere: panis ei datus eſt, ac deinde, aquæ eius fideles ſunt. hic eſurienti iuſtitiam panis: ſitienti verò aquæ fideles paratæ. En iuſtitia panis viuus, & aqua fidelis effecta. Iam itaque inquirendũ, quo pacto hæc intelligi debeant.

Iuſtitia hominis habet ſe ceu animal, quod ſine alimento deficit tandem ac moritur, atque idcirco pane indiget, & aquis. Eſt enim iuſtitia humana habitus, quo nitimur Dei iuſtitiam, quoad poſſumus, imitari: tum verò iuſti quodammodo ſumus, cum intelligimus Dei iuſtitiam humanæ iuſtitiæ vim per infinitum excedere: ita vt demum, & noſmetipſos, & iuſtitiam noſtram Deo ipſi comparatam nihil omnino eſſe cernamus. cum tamen nouerimus, quãtum Deo ipſi debeamus. quod autem ipſe meritus ſit de nobis, eò quod eius merita immenſa ſint; debitum rurſus noſtrum cum eo immẽſum eſſe tenemus, vt id ſoluere nullo omnino modo nos poſſe cernamus. Quid igitur nobis faciendũ, vt quoquomodo iuſti eſſe valeamus? Primo debitũ immenſũ eſſe fateamur: ſufficiẽtiam tamen noſtrã nullam eſſe agnoſcamus. dolendũ inſuper non poſſe nos erga Deum, quod & debemus, et tenemur, efficere: comprecari etiã, vt ipſe eas nobis Simile. Nihil in nobis gloriandum, ſed omnia à Deo.

vires

vires sufficiat, quibus, & nostro debito, & ipsius meritis facere satis possimus. hoc autem ibi forsan
Eccli. 39. *innuitur vbi dictum; Iustus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo: et in conspectu Altissimi deprecabitur. Deum igitur si comprecemur, quod est iustitiam esurire, ac sitire; panis esurientibus; aqua autem sitientibus è cœlo nobis præbentur; quæ alimonia quædam est, qua imbecillitati, ac vilitati iustitiæ consulitur nostræ. Alimonia autem est æterna iustitiæ ratio, qua nobis infusa, Deo ipsi ex suo, non ex nostro, quod nihil est, debitum reddimus: hoc quidem ibi significatur vbi dictum, panis eius datus est: aquæ eius fideles sunt. Pane hoc, et aquis esuries, ac sitis iustitiæ, quæ ipsa nostra iustitia est, extinguentur. Tantum verò nobis ex hoc denique cibo superfluit, vt non solum ipsi, & sustentemur, & confirmemur: sed vel alijs etiam distribuere id valeamus. Inde dictum est, num-*
Psal. 36. *quam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. & sequitur: tota die miseretur, & commodat: miseretur, videlicet aliorum; commodat autem, hoc est, ex eo pane, qui ei superabundat, apponit. Cum verò dictum est. Frange*
Isa. 58.
esurienti panem tuum: de hoc præcipuè intelligen-
Matth. 5. *dum est. Inde vbi dictū est, beati qui esuriunt, etc.*

statim

ſtatim ſubijcitur. Beati miſericordes: cum enim ſaturati ipſi ſunt, ad proximum miſericorditer conuertuntur. ſed de hoc poſtea. nunc ea quæ ab Iſaia dicta ſunt, proſequamur.

Eſurienti igitur panis viuus, id eſt, iuſtitia viuens, vel potius viuifica traditur, qua iuſtitia, quæ in eo ceu mortua eſt, viuificatur. Differentia autem inter panem, & aquas hæc eſt, quod panis ad intellectum, aqua ad voluntatem pertinet: pro pane enim verbum, pro aqua donum, id eſt, Spiritus ſanctus accipitur: quibus nobis infuſis, rationem, & decus ipſius iuſtitiæ & intelligimus, & amamus. Panis eſt iuſtitia, eo quo veritas, aqua eo quo vita: quo autem panis confirmat, & format: quo vero aqua mollit, & liquefacit. his igitur veram intelligimus iuſtitiam, his iuſtam diligimus veritatem; hoc eam admiramur: his autem complectimur. Tractabimus, & alias tres partes ab Iſaia poſitas, licet ad alios noſtræ viæ gradus pertineant; ne, ſi non fuerint explanati, intellectum turbari contingat. Panis & aquæ diſcrimen.

Sequitur: Regem in decore ſuo videbunt oculi eius. Poſtquam dictum eſt, panis ei datus eſt, & aquæ eius fideles ſunt: ſubijcitur: Regem in decore ſuo, &c. Multa omittimus, ne in immenſum pro-

trahatur sermo. Magna sunt, quæ dicuntur, ita vt vix ea attingere audeam; dixi tamen aliqua, non vt explanans, sed velut inquirens. Illius oculi vident Regem, qui eum decentia se facientem, intelligentem, & diligentem animaduertunt: qui cernunt decus eius esse Maiestatem eius, bonitatem, gloriam, omnipotentiam, immensitatem, æternitatem, & alia id genus. sed vt de ijs tantum ad præsens loquamur, quæ ad materiam pertinent, inter ea, quæ regem ipsum regum, & dominum dominantium decent, ad quem mundi tutela, gubernaculum, cura, ac prouidentia pertinet, iustitia est: sine qua rectè mundum moderari non posset: de qua ceteris ad præsens omissis, dissera-
Psal. 47. *mus. Iustitia, dictum, plena est dextera tua, &*
Psal. 96. *alibi: Iustitia, & iudicium correctio sedis tuæ.*
Psal. 84. *Inde dictum. Iustitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos, & iustitiã, et iudiciũ cantabo tibi Domine: & alia plura, quibus grande Regis huius Regum intelligitur esse decus. sed quid hæc tandem, quæ in Deo dicitur esse iustitia? est planè adæquatio quædam cum præmiorum, tum suppliciorum ad personas: tamen præmiorum videtur cumulatior; quia non est iustitia sine misericordia: licet misericordia sit sine iustitia, vindicati-*

dicatiua, scilicet & punitiua. Aequitas autem, idem est quod iustitia, & sæpe alterum pro altero sumitur; sed æquitas quædam videtur definitio esse iustitiæ. Est enim iustitia æquitas, seu æqualitas, seu etiam adæquatio numquam penitus errans. Inde dictum, ipsum iudicaturum esse orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate. sed quid plura? Regem hunc iustitia & æquitas decent: Quin insuper decus quoddam ipsius sunt, vt cum dictum est: Confessionem, & decorem induisti, Psal. 103. *& Dominus regnauit, decorem indutus est.* Psal. 92. *Hoc decus proprie iustitiæ est: quæ regnantes maximè decet; Cum verò ait: amictus lumine, sicut vestimento, sapientia, vt arbitror, est intelligenda; nam sine sapientia nec iustitia stare potest, nec iudicium. Cum igitur quis videt eum in decore suo: videt sapienti iustitia, iusta sapientia, æqua gloria, gloriosa æquitate, & vera misericordia, misericordi seueritate, iusta omnipotentia, omnipotenti iustitia effulgentem, quibus puris oculis immensa aperitur pulchritudo, immensum decus, obstupenda maiestas. En iustus videns regem in decore suo. terram rursus de longe videre subijcitur: terram obiectum sensibile, hic vniuersum intelligit, quod procul à videntibus regem*

Rerũ sensibiliũ cognitio. *abesse necesse est. Fuit aliquando rerum sensibiliũ cognitio scala ad agnoscendum Deum: modo verò impediat si adsit? Imaginationes igitur, phantasmataq. vniuersa procul absint: si reuelata facie regis huius & gloriam videre; & in eandem* 2. Cor. 3. *imaginem transformari, vt ait Apostolus, cupimus: sed licet procul terram aspiciat; aspicit tamen. quod ideo forsitan dictum, vt innuat sine aliquo sensibili figmento ad intelligibilia efferri mortales non posse: ita vt si quis hæc videt corpore induta, sicuti ipsi, qui perscrutamur, existimus, videt, quorum corpus cernitur. spiritus ex operi-* Ioan. 1. *bus tantum agnoscitur. sic Deum, vt Ioannes ait, nemo vidit vmquam. Ex operibus tamen illius; vbiq. essentia esse, atque etiam inesse deprehendi-* Isa. 66. *tur. Aliquando tamen è terra, quæ est scabellum pedum eius, in cælum, quod est solium, & thronus eius, ascendimus; aliàs verò è cælo descendimus in terram: hoc est aliquando diuina per humana; interdum humana per diuina dignoscimus. Magnus planè Deus in operibus suis, magna rursus opera Dei in Deo: in eo enim vita sunt. Maximus Deus in seipso, parua opera Dei extra Deũ, hoc est, in sua natura. horum tamen paruitas non nisi ab eo, qui è cælo descendit, satis tenetur. Deus*

tamen

tamen vbiq. magnus, vbiq. excelsus agnoscitur, etiam in paruis: quia verò habitat lucem inaccessibilem, id est, in seipso, à quo vno comprehenditur, in seipso agnosci non potest: quo tamen agnoscitur, adeo excedere omnia cernitur, vt nihil omnino alia omnia, Deum videntibus videantur. Idcirco Propheta terram à longe videri ab eo, qui regem videt, affirmat; quia terra eos significat, qui diuina terrenis vijs nosse laborant, qui cum longè sint, à via, qua ad veritatis agnitionem ascenditur, non solum speculantes, & cogitantes non perueniunt, sed euanescunt, vt ait Apostolus, in cogitationibus suis, et obscuratur insipiens cor eorum; dicentes enim se solos esse sapientes, stulti facti sunt. Indeq. sapientia huius mundi inimica Deo: prudentia verò carnis mors esse dicitur. & hic est alius à superiori sensus: longe igitur est terra ab eo, qui regem videt, hoc est terreni homines, inter quos Philosophi computandi; quia verò is altius, quàm natura hominis patiatur, forsan ascenderat, ne tantæ celsitudinis statum amittat: & ne quanto sublimius eleuatus est, tanto inde tristius deturbetur, cor eius timorem postremo asseritur meditari, quo exoritur humilitas, quæ ipsius status fidissima custos est: hac de causa etiam

Paulo

Paulo Apostolo datus est stimulus carnis eius angelus Satanæ, ne reuelationum magnitudo eum extolleret. sed de his aliàs.

Hac equidem non explanaui, sed paululum attigi, vt quæ esset ea iustitia, qua verè homo saturatur, apertius teneremus. sed in via hac nostra sequitur alius gradus, qui necessariò præcedenti succedit. Dictum est enim. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: ipsi ait, non alij. esuries, sitisq. iustitiæ in excelsa animum extulit: misericordia verò in ima deturbat. Iustitiæ esurie ascendimus ad Deum: misericordia descendimus ad homines. iustitia eò euexit: huc charitas deijcit: ibi præcipuè exarsit amor numinis: hic amor flagrat proximi, vt supra diximus. In iustitia semper est pietas, atque in pietate iustitia, ita vt dici possit, seu pia iustitia, seu iusta pietas. Prima, pietate eo ascenditur, vbi & perfici, & conseruari possit piorum animus: secunda verò ad socios generis inclinamur, eosq. illuc educere cupimus, vbi vel ipsi purgari, illuminari, ac perfici valeant, moreq. Apostolico
Rom. 9. *anathema à Christo fore patimur, vt saluti hominum consulamus. Videmus enim omnes ferè erroribus varijs, vanitatibusq. implicitos: ac si*

verè è cælo descendimus, verba illa Dauid mi- Psal. 4.
serandis vocibus insonamus: filij scilicet hominũ vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Cumque primo luxerimus nos: modo alios mortuos lugere incipimus. Videmus fame, siti, nuditate, ægritudine, varijsq. morbis, carceribus, & alijs id genus, non corpore, sed animo fatigatos, intereuntes, ac pæne iam exanimatos: Videmus delinquentes ignaros, tædio affectos, odio proximi excandescentes, alijs innumeris malis, ac sceleribus laborantes: & horum misericordia moti, etiam mori pro illorum salute, si opus sit, non renuimus. Inde exemplo, & doctrina, & quoquo alio pacto valemus eos liberare, & grandi discrimine, quo inscij properant, eripere laboramus. talis prorsus erat Apostolus, qui de salute mortalium anxius vniuersa tentabat, nullis laboribus parcebat, omnia licet aspera, dura, grauia alacriter pro eorum libera- 1. Cor. 9.
tione subibat; infirmus infirmis, tristibus tristis, & omnia omnibus demum fiebat, vt malis, quibus more torrentis rapiebantur, eriperet. & licet primo animorum; secundo tamen vel corporum incommodis consulere omnibus nitebatur. Ac ita nulla, quæ ad piam misericordiam pertinere intellige-

telligeret, omittebat: ita vt de eo verè dici potuisset, fuisse misericordem. & hæc ad hanc partem sufficiant.

Duo enim adhuc restant dicenda, quibus absolutis sermonem absoluere statui: in quibus tota huius disputationis vertitur moles, quæ ego, vt de alijs feci, potius libabo, quam absoluere explanareq. aut tentem, aut experiar. Et hoc, quia nequaquam mihi sunt pennæ columbæ deargentatæ, cuius dorsi posteriora pallore auri splendere dicuntur: nec aquilæ alæ ab Ezechiele visæ, vt volare possim, & requiescere: quin ranæ potius similem me noui, quam aquilæ. Dicam tamen aliquid: non quod confidam quid dignum existimatione me esse dicturum, sed vt in sacris quoad possum, & licet, literis quamdiu, quam iugiter verser, atque exercear.

Psal. 67.

Ezec. 17.

Est itaque octaua huius viæ nostræ pars cordis munditia, quæ ibi innuitur, vbi dictum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deũ videbunt: Mundo corde dicuntur mundæ animæ: Cor siquidem pro anima in sacris persæpe literis ponitur: licet nonnumquam inter animam, & cor differentia aßignari aliqua consueuerit. sed hoc modò omittendum. Res enim harum lectione assuetis perspicua

cua est. Quod autem pro anima ponatur, ibi manifestum fit, quum dicitur, quod Deus finxit sigillatim corda hominum: quod D. Hieronymus animas intelligi oportere testatur: & ibi viuent corda eorum in saeculum saeculi; in ipso explanationis tractatu deprehendi manifestissime poterit. Cor igitur tum mundum esse putandum, cum omnibus, quibus cursus eius in caelum impediri aliquo modo potest, & exoneratum fuerit, & omnimodè absolutum: nam sua animus natura in caelum, etsi pondere aliquo grauatus, pressusq. fuerit, protinus, vt ignis, vi quadam, seu instinctu subuectus proprio euolat: ceu oleum in aqua mersum atque obrutum consueuit, quod licet impetu fusum in ima descenderit, licet disiectum, dissipatumq. in ipso cadentis lapsu cum ipsa propemodum confundi aqua videatur; paulatim tamen & ascendit, & in vnum denique coit: tanto autem ad superiora emicat ocyus, quanto plurius est, quantoq. leuius: deinde summa tenens, nec ab ipsa madefactum aqua esse aliquo pacto colligitur. In illud enim immissus ignis vsque ad aquae limitem, sine vllo sonitu crepitantis flammae absumitur. Hoc eodem ferè pacto munda, & ab omni labe, pure presseq. detersa anima se habet homi- Psal. 32.

nis. si enim pura sit, si leuis, protinus summa tenet, & per cælestium ordines Potestatum, tamquam per scalã quandam ascẽdens, ad Thronos vsque peruenit. alios enim ordines, dum iustitiæ gradus traijceret, superauit: de quibus aliquid dici haud quaquam forsitan abs re esse putandum est: maximè autem quòd Deus mundis luminibus in cunctis, præcipuè tamen in illis inspici consueuit. In Angelis enim fit nuntius, quo cælestia quædam prodente sacramenta, bonæ in nobis voluntatis igniculus excitatur: in Archangelis cietur. in Virtutibus iustitiæ perficitur habitus. Vbi verò iusti ipsi iam effecti fuerimus: aliorum in ipso Principatuum ordine principes seu constituimur, seu tales sumus, vt constitui tuto, meritoq. poßimus. Huius tamen principatus decus potius honore, aut magisterij, & doctrinæ, quam potestatis titulo possidemus. Cum verò Potestatum insigne maiori iam virtute cõspicui obtinuerimus, ius puniendi, honorandiq. alios adipiscimur. Ad Dominationum verò gradum sublati, omnium pos-
Psal. 2. *sessione ditamur: ita vt eo sublato dicatur: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Inde prius fuit Dei filius magisterij, & doctrinæ causa princeps. Secundo*

ceu

ceu in alio ordine, cum veniet maiestate magna, & potestate, & tunc erit ceu iudex, modo ceu Rex regum, & Dominus dominantium, quam in Dominationibus agnoscere possumus. cum ait David: Constitutus sum Rex ab eo super montem sanctum eius, prædicans præceptum eius, Principatuum cum dicitur; reges eos in virga ferrea, tamquam vas figuli confringes eos, Potestatum. cum ait: dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, Dominationũ ordines innuit.

Apoc. 19
Psal. 2.
Psal. 2.
Ibid.

Primò igitur eligimus bonum, secundò operamur, tertiò esurimus, quartò docemus alios, quintò iudicamus, sexto certo dominij iure etiam possidemus: In primo electio, in secundo actio, in tertio habitus bonus innuitur, in quarto magistri, in quinto iudices, in sexto domini omnium constituimur. quæ in superioribus gradibus passim perstricta sunt. Modò verò maior rerum nobis subijcitur moles. De munditia enim cordis, Deique visione, ac etiam essentiali beatitudine differendũ, quæ vt planius innotescant, aliorum ordinum iura, & actiones libanda nobis esse videntur.

Ordo in actionib⁹.

In primis igitur sacrorum Principatuum genere nobismet, in secundo alijs, in tertio ipsi Deo spe-

culando contemplandoq. vacamus, & licet singula horum genera, singulorum quodammodo iura, ac proprietates sibimet vindicent: proprium tamen primi est, vt homo sibi, secundi vt proximo, tertij vt Deo singulariter vacet. In primo iusti, in secundo misericordes, in tertio sapientes constituimur. Et notandum, quod quicquid iustus erga proximum operatur, potest misericordiæ tribui: etiam cum castigat, affligit, occidit; nouit enim non corpori esse parcendum, vbi de animæ
Exemplū. *salute, bonoq. agitur: et Apostolus quendam Satanæ tradi præcepit, vt spiritus saluus fieret: quod non nisi ob misericordiæ fecisse studium arbitrandum. En iustitiæ esurie, siuq. ceu per scalam à Iacob in visione perspectam ad Deum ascendimus, & iusti efficimur: descendimus ad proximum, & misericordes constituimur; quo planè perfectis, cordeq. iam mundis nihil restat, nisi vt ad diuina contemplanda, speculandaq. accingamur: quod quidem fieri non potest, nisi turbidis passionum motibus sedatis omnibus, nulla iam in terris patrare vltra cogamur. Magnam igitur animi tranquillitatem adepti, numinis certa sedes efficimur: nam vt scriptum est, non nisi in pace*
Psal. 75. *locus eius; & habitatio eius in Sion: ita quod ceu*

thro-

thronis effectis numen in nobis sedere, non stare, vt olim fecerat, incipit. Stat enim in nobis, cum aduersus hostes pro nobis pugnat, varieq. luctatur: sedet autem cum regnum nostri Deo, patriq. tradiderit: cum videlicet victoria potius omnia iam nobis effectus est. vt autem dum staret in nobis, pro nobis certabat: sic dum sedet, suam nobis pulchritudinem, suum decus, suamq. maiestatem videndam, considerandam, speculandamq. ostendit. Quare autem ipsi iam tales existimus? quia nulla in nobis sordium onera extergenda relicta sunt: quin mundo corde iam existentes, ab omnibus eiusmodi iam vacare permittimur, quo fit vt Cherubin ordinem teneamus: et tanto scientiæ, sapientiæq. lumine illustremur, vt & Deum videre, & hominibus sapientiam effundere valeamus. Nam Cherubin nomen in Latinum versum, & multitudinem scientiæ & effusionem sapientiæ significare asserunt. Si igitur Cherubin ex multitudine scientiæ Deum nosse. mundo itidem corde ex plenitudine puritatis, ac munditiæ Deum videre feruntur. Ex hac autem visione, qua numinis cernitur pulchritudo, decus, gloria, maiestas, omnisq. perfectio, tantus amor, tamq. potens accenditur, vt ad Seraphin ordinem subuehamur,

Cherubin explicatio.

mur,

mur, qui ideo dicuntur igniti, siue candentes, quia ex quo ipsi succensi sunt igne, inferiores cum Angelos, tum homines accendere moliuntur.

Cordis munditia.

Verùm quo pacto ad hanc munditiam, qua tam magni efficiuntur, deueniatur, inquirendum nobis est. Licet autem multa, quibus hoc innuitur, supra iam dicta sint; alia tamen adhuc dicenda, vt huius magnitudo status plenius teneatur. Mundationis, seu lustrationis genera quatuor hominibus proposita esse nouimus. vnũ antequam Christus nasceretur ex Virgine; alterum ab ipso Christo lege sancita: prius fuit circumcisio data; deinde baptismata tria sunt instituta: aqua videlicet, spiritus, et ignis. Indeq. ait Ioannes: Ego baptizo in aqua; sed post me venit, qui baptizat in Spiritu sancto: & igne. Sacramenta horum ad præsens omittamus: mysticas tantum eorum rationes inquirere laboremus.

Lustrationis genera quatuor.

Ioan. 1.

Munditia cordis quatuor requirit.

Quatuor in nobis, vt mundo corde esse possimus, expianda sunt: primo carnis concupiscentia omnis, quod per circumcisionem innuitur, quæ bipartitur. Nam carnis propriè concupiscentia est, in ijs, quæ dicuntur passiones. sunt tamen alia vitia, quæ non sunt propriè carnis, vt gloria, vt superbia, inuidia, & alia huiusmodi, quæ ideo

carnis

carnis dici quodammodo possunt, quia is, qui superbia tumet, hominibus anteire molitur. is qui gloria euanescit, laudari, celebrari, honorariq. ab hominibus & quærit, & quoquomodo contendit: quo fit, vt carnis concupiscentiæ, etiam hæc, & alia eiusdem generis adscribantur. Quæ carnis sunt propria, circumcisione, quæ partim carnis, partim spiritus, aqua expiari, mysticè opus est. Hæc vna Ioannes concupiscentiæ carnis appellatione comprehendit, cum ait, quòd omnia, quæ in mundo sunt, concupiscentia sunt carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Concupiscentiæ igitur carnis circumcisio, & aquæ lauacrum: Concupiscentiæ oculorum, spiritus, superbiæ vitæ, ignis baptismata sunt opposita. Circumcisio præputij lapide acuto, seu etiam ferro conficitur: carnis vitia non nisi ferri, lapidisq. rigore, atque acie excidi consueuere; cibi videlicet tenuitate, vigiliarum, orationumq. instantia, nuditate, frigore, fuga vrbium, omnium rerum necessitate, habitaculi angustia, vilitate, asperitate; si humi quiescens decubes, si quotidie ingemiscas, si lugeas, si iniurijs, contumelijs, verberibusq. afficiaris: si graui inuraris infamia; si contemnaris, expellaris, odio sis vniuersis: si expolieris, si malis iniurijsq. 1.Ioan.2.

iurijsq. omnibus cumuleris: hi planè cultri ferrei, seu lapidei, quibus solis vitia cum carnis, tum spiritus exciduntur, duri quidem, sed salutares. Octaua autem die fieri circumcisio consueuit; qui numerus resurrectioni adscribitur. Hi verò qui huius rigore cultri corde circumcisi sunt; resurgere cum Christo ab Apostolo dicti: Resurgimus enim spiritu, suo tempore etiã carne resurrecturi: his cul
2. Prol. 1. *tris antiqua cordis caries, ac situs eraditur; quia verò non omnes penitus maculæ, ac sordes cultro amoueri possunt, aqua adijcitur, qua omnis denique superbiæ, ambitionis, gloriæ, aliorumq. id genus labes, ac proluuies exterguntur. Nondum tamen his ita cor expiatur, atque mundatur, vt Deum videre sufficiat: resident enim quædam animæ tam altè infixa, atque impressa, vt sanctioris lustrationis genere opus sit. Concupiscentia videlicet oculorũ: cupimus enim vel ipsi eos aperire oculos, de quibus antiquus hostis primis hominibus loquutus est, dicens: Aperientur oculi ve-*
Gen. 3. *stri, & eritis sicut dij. Sicut dij prorsus essemus, si ita mentis oculos aperire possemus, vt mysterium veritatis planè cernere, ac nosse valeremus.*

Illi igitur hac oculorum concupiscentia agitantur, qui non Deo duce, sed naturali, si quod est,

lumine

lumine arcana Dei mysteria, fide contempta intelligere nituntur, et confidunt; vt Philosophi olim posse arbitrati sunt: oculos siquidem suos aperire sua, ac propria vi contenderunt: quia verò veritatem sine Deo tenere non possumus, per diem, vt scriptum est, incurrebant tenebras, & ceu in nocte sic palpabant in meridie. Lux enim vera, quæ omnes homines, vt ait Ioann. illuminat, licet vndique effulgeret, cum cæci omnino essent, eam nosse penitus nequiuerunt. Nam non è cælo petendam esse lucem, qua ratione æternam agnoscerent, sed ipsi ex se, et in se habere putarunt: nescientes, quod qui sine Deo videre Deum ipsum nititur, similis ei sit, qui in prædensis tenebris positus aperit oculos, vt videant; quos quanto amplius aperit, tanto minus videt: nullo enim modo, nisi immissa luce videri quid potest. hos oculos, vt sicut dij fierent, cum primi homines consilio inimici instigati aperire voluissent, cæci facti sunt; euanuerunt enim in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Adeo enim falluntur homines, vt licet in tenebris sint: quia tamen oculos aperiunt, se sapientes esse & credunt, & asserunt: ideoq. adijcit, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Hæc est concupiscentia oculorum,

Ioan. 1.

Rom. 1.

quam à nobis auertendam esse Ioannes prædicat, quæ non nisi spiritus baptismate restingui potest: dono videlicet ingenii, & gratia spiritus, qui cum nobis infusus est; eodem nos doceri omnem veritatem asserimus. Ipse enim vnus cor extergit hominum, & ad Deum videndum arcanis, & vijs, & rationibus præparat. Restat adhuc pestis altius alijs animo insidens, quæ maiori etiam vi euellenda, atque eruenda est; quam idem Ioannes superbiam appellat vitæ. Postquam enim Spiritus sancti abluti baptismo, & tenebras nostras agnouimus: lumen in numinis lumine videre cœpimus: nam ipse omnem veritatem nos docuit: tam grandem rem ipsi nobis adepti esse videmur: tam alta nonnumquam de nobis ipsi præsumimus, vt tamquam dij inter homines nos esse putemus; inde iamdudũ videmus omnes homines esse mendaces, omnes falli, omnes errare; omnes in tenebris esse, &, nisi vt Paulo Apostolo factum nouimus, stimulus carnis Angelus Satanæ, qui nos colaphizet, adhibeatur, ob reuelationũ magnitudinẽ et extollemur, et nonnumquam etiam extollimur. Hæc superbia dicitur vitæ, quæ vno ignis baptismo purgatur: vt enim ignis materialis cuicumque rei combustibili approximatus, eam intime

Ioan. 1. (margin)

2. Cor. 12. (margin)

me

me cõburit,et absumit: ita Baptismus intimas altissimèq.abditas animi sordes miris quibusdã modis,et expiat,et penitus abolet.quo fit vt ad viuũ mundus,ac nitidus redditus animus Deum videre iam possit. Magna planè visio,qua iam verè beati,ac etiam,vt postea dicetur, Dei filij reddimur.

Hinc muneribus,vt ait Isaias,sapiẽtia,intellectus,consilij,ac scientia postremo donatur:scientia videlicet,ut Deum in creatis,creata in Deo: consilij,vt virtutem per se subsistentẽ: Intellectus,vt naturas,species,rationesq.rerũ æternas: Sapiẽtia, ut ipsum Deum trinũ,unumque,quoad patitur humana à diuina sublata facultas, iam cernere valeat: videre planè potes quò nos via hac iamdudũ euexit. Corde siquidem mundus quocumque conuertitur, Deum videt: Inde ille ait,si ascendero in cælum,tu illic es; si descendero ad infernũ ades: si sumpsero pẽnas meas diluculo,et habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua,etc. Hunc iam nulla ludunt phantasmata,nulla mouent huius iam mundi culmina; hic Philosophos miseratur, et ceu gloriæ mancipia deflet vniuersos; docere conatur omnes, & cum nullos ferè inueniat, qui se trahi permittant,tamquam mortuos eos luget. Tales sunt

Isa. 4. & 11.

Psal. 138.

bi, de quibus ait Propheta: Videntes clamabunt
Isa. 33. *foris: Videntes, scilicet Deum, eo quòd mundi sunt corde: & Angeli pacis amarè flebunt. Angelos vocat pacis, qui in vltima huius libri parte pacifici nominantur, dicunturq. Dei filij, qui adeo humana excesserant vniuersa, vt non homines iam, sed Angeli nuncupentur: sed de his postea.*
Ceterum ad cor mundum iam reuertamur, Cor hic pro anima simul, & spiritu ponitur: ita etiam anima eodem modo frequenter accipi solet, vt ibi:
Psal. 24. *Ad te Domine leuaui animam meam: & ibi:*
Psal. 83. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini, &c. Ibi autem distinguuntur, vbi dictum*
Psal. 50. *est: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Hic autem cor pro anima, vt præfati sumus; ibi uerò pro vtro-*
Psal. 20. *que positum esse videtur: Desiderium cordis eius tribuisti ei. Sed quia, vt diximus, in via hac nostra positum est cor pro vtroque, hoc est pro spiritu, & anima, quæ etiam aliquando ambos comprehendit, de anima, & spiritu aliquid dicendum adhuc esse videtur. Ad cuius rei intelligentiam illud sumemus; cor, videlicet mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Creari petit, hoc est alterum ab eo*

quod esset, effici. Innouari autem rogat spiritu, id est noua, atque insolita rectitudine, ac sanctimonia insigniri: sed spiritus ea animæ pars, qua rectis æternum Solem radijs & speculamur, & contemplamur. Anima verò, creata, in ordine ad Deum, flexis radijs, non rectis intuemur, atque agnoscimus. Corde autem mundo, quod vtrumque complectitur, Deum ipsum videmus. Cor autem mundum, & nouum dici potest; idem enim significant. Mundari itaque sibi cor, spiritum autem innouari psalmographus flagitat. Quia verò hæc non nisi vna cum numinis spiritu in vobis vel esse, vel stabiliri aliquo modo possunt, ne se à facie ipsius Deus subtrahat, ne ve Spiritum sanctũ auferat, comprecatur. Nam nec cor mundum, nec spiritus rectus absque eo, qui ipsa & mundities est, & rectitudo, subsistens esse aliquo modo potest. Inde non solum mundari cor, spiritumq. rectum innouari suum exposcit; sed eum insuper spiritum, quo hæc facta sunt, vt à se nequaquam auferat, enixè precatur: quippe cuius dono tales & effici, & conseruari valemus. Quia verò ipse spiritus negligentia eum habentis interdum amittitur, aufertur, atque aufugit, ne tanti dispendij vltra malum contingat, adijcit. Redde mihi lætitiam

salu-

salutaris tui, et spiritu principali cōfirma me: Spiritus principalis, & Spiritus sanctus idem est: Principalis tamen dicitur, cum ita nostri sibi vendicauerit principatum, vt iamdudum totos possideat: iamdudum in nobis ei nihil repugnet; sed
1.Ioan.3. *vnus effecti spiritus, cum ex Deo nati simus, & semen in nobis ipsius permaneat, Ioanne teste, peccare vltra non valeamus. In diuinitatem enim adeo iam transiuimus, vt quasi dij in Deo, Deum ipsum & videamus, & contemplemur. En quo via hac veritatis, & vitæ incedentes ascendimus. Hæc via, vt diximus, Veritas, et Vita, idemq. numen: aliud tamen, & aliud, non in se, sed in nobis: nobis enim via est recta dum ambulamus; veritas dum stamus, vita dum sedemus seu quiescimus: ipso enim nos ceu per viam euntes ducente, ac etiam portante, ad eum appropinquamus, atque accedimus, eiq. denique inhæremus. Ipse veritas, qua illustramur; ipse vita, qua verè viuimus. Ipse rursus vera via est; viuaq. veritas; via rursus viua, ac vera vita; ipse rursus munditia cordis nostri, lumen oculorum, directio spiritus, quibus sumus ei similes, quibus secundum eius regulam operamur, quibus in eius quiete quiescimus; ipsius lumine videmus eum, ipsius amore*
dilgi-

diligimus, ipsius spiritu obfirmamur; ipse culter in circumcisione, aqua in baptismo, spiritus in exsiccatione, ignis in examinatione. Ipse interdum amarus ac difficilis, interdum dulcis, & facilis, aliàs acutus, nonnumquàm etiam calidus, ipse castigat, vulnerat, mollit, ac liquefacit, excæcat, & illuminat: urit, & ad nihilum redigit. Initium huius viæ fuit fides. Primus verò gradus, timor Domini, quod & initium dicitur sapientiæ. Humilitas, in qua, teste Salomone, est sapientia, paupertas, in qua verè incipiunt esse diuitiæ; mansuetudo, in qua vera sui dominatio, luctus, in quo exacta suimet cognitio; esuries, sitisq. iustitiæ, in qua uirtus quæ recta est, et perfecta ratio; misericordia, in qua uera charitas. Hæc tamen omnia uiæ fuerunt: ueritas autem qua mundo corde Deum & uidentes intelligunt, & intelligentes uident, finis potius dicenda est, quam uia: licet omnis animi perfectio, dum in uia sumus, dum ad patriam, hoc est, ad cælum properamus, forsan uia dicenda est, sed his, ut potuimus, expeditis, huius iam uiæ terminũ teneamus; qui quidem ibi esse uidetur, ubi sequens Euangelium, ait: Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur. Pacifici sunt ij, à quibus iam pax possidetur:

Matth. 5.

Pacifici qui dicantur.

detur: pacem enim iam efferere, ac deuictis, deletisq. hostibus altissimæ pacis securitate fruuntur. Cumque sub rege, qui dicitur pacificus, ipsi se uolenti, libentiq. animo iam subdiderunt, iam eius esse; immo iam nihil esse cœperũt: ita ut cum in eis omnia Deus sit, filios appellari Dei iam æquũ. de quibus iamdudum aliqua differenda sunt. Primo tamen quid pax hæc, qua ipsi pacifici dicuntur, sit, exponendum. Pax de qua modo loquimur, est æterna ab omni impugnatione, perturbatione, discrimine, ac læsione securitas. Est desiderij terminus, paßionum absolutio, uoluntatis pulcritudo, legis finis, summi boni adeptio. diuinæ pulchritudinis, maiestatis, gloriæq. secura fruitio; contemplationis, sanctæq. speculationis, æternitatisq. considerationis occasio. hæc sedet solitaria, ac tacet, ac super se efferre una se potest: huius ille glutinum, qui fecit utraque unum; hæc cum exuperet omnem sensum, teste Apostolo, corda nostra, & intelligentias omnes custodit. Inde dictum: pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non est illis scandalum: diligere autem legem magnum quid putandum. Diligit enim qui non metu, sed amore, qui non mercede sed studio, qui non coactus, sed libere eam & complectendo obseruat, et obseruando

Pacis veræ descriptio.

complectitur. Mundo planè corde, Deumq. videntes, soli pacifici esse possunt: qui enim videt Deum, habet Deũ, qui habet Deum, habet omnia, sapientis desiderio, & voluntate dignissima. Inde dictum, factus est in pace locus eius: ipse enim est pax piè viuentium omnium, qui non nisi pacifica incolit; pace enim, vt ait quidam, magna sola tenet: huius vero arx pacis à nullo penitus euerti, ac deijci vmquam potest. Eo nec ventorum procellæ, nec imbriũ nimborumq. tempestates, nec nubium caligo, fulminaq. ascendunt: omnia enim ipsius altitudo transcẽdit: in excelsis autem habitans parua infimis volutari, misceri, turbariq. cernit vniuersa. Hæc autem euasisse, altaq. iamdudum tenere se gaudet. finis autem certaminis omnis obluctationis, atque obturbationis pax: et ideo ab Apostolo dictum, deinde finis. cum tradiderit regnum Deo et Patri; cum euacuauerit omnem dominationem principatum, potestatem, & virtutem: oportet autem illũm regnare, etc. ratio, videlicet æterna rerum, quod verbum, & filium dicimus, in nobis pro nobis tamdiu pugnat, quoad ponat omnes inimicos, omnia, videlicet, quæ iustitiæ, quæ legi, quæ ipse est, quæ Deo aduersantur, sub pedibus eius, hoc est obruat, opprimat,

subigat. Dum enim humanitati iuncta diuinitas, regnat in nobis; ideo regnat, quia adhuc homines sumus, & necesse est, vt illa humanitate quodammodo temperata diuinitas, nostræ facultati, seu imbecillitati se moderetur atque inclinet, ac tamdiu excolat, tamdiu domet, atque exerceat, quo ad sui demum similitudinem formet, atque effingat: hoc autem non nisi mediante humanitate effici potest: ea enim et homo ad diuinitatem ascendit, & diuinitas homini attemperatur: nam non nisi humanitate se quodammodo demittit, hominem tollit, Deum minuit, hominem roborat: talis tamen fit Deus, non in se, sed nobis. Magnum atque nonnumquam diuturnũ bellum cietur, carne homines ad ima, spiritu ad excelsa vocantibus; quia verò carni, & animæ adhærent tartareæ potestates, ne Deus ex superiori parte dimicans victoria potiatur, ante dixerat, cum euacuauerit omnem dominationem, principatum, potestatem, & Virtutem. Hi enim nequam spirituum ordines contra spiritum Deo suapte natura inhiantem iugiter obluctantur, quo fit vt pugna sit grauior, difficilior, atque molestior. Caro enim, & anima facile his absistentibus vincerentur: indeq. ait idem Apostolus alibi. Non est nobis collucta-

Ephes. 6.

tio

tio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum; contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Oportet igitur illum, Christum, videlicet regnare, donec carnem, & hæc alia omnia ponat sub pedibus eius. Sequitur: nouissimè autem destruetur inimica mors. Equus in Apocalypsi ponitur pallidus, cui mors insidere, hos autē infernus sequi dictus est. sed quid hæc? Equus anima, quæ ideo pallida dicta est, vt mortuis similis videatur: tunc à morte ipsa interfecta, cum voluntatis, atque intellectus bono priuata est, veritate, scilicet ac vita, quam finem esse supra ostendimus. In veritate enim absolutum intelligibile, in vita absolutum appetibile positum, quorum destitutio mors est: anima verò intelligibili, atque appetibili omnino priuata mortua est: huius boni priuatio mors: infernus autem dicitur, cum non solum in tenebris sit, sed & cæca, ita vt vel lumine quidem præsente videre non possit. Ita insuper obstinata dicitur, vt nec bonum agnoscat, nec diligere possit: inde dictum: Non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? Hæc igitur nouissima mors destruetur, id est tali gratia, diuinaq. ope, & au-

1.Cor.15.

Apoc. 6.

Psal. 6.

xilio confirmabimur, vt mori iustitia nequeamus. Nouissima autem dicitur, quia nouissimè huius discrimine interitus absoluemur: nam vt ab inferis liberari, sic ab eo statu, quem destructa, & deleta morte tenemus, deturbari non possumus, hoc est, nec inde quis bonus, nec hinc quis malus iam effici potest. Ille vltra sperare cælestia, hic metuere inferos nequit. Nouissima igitur morte destructa, pax rursus vera iam nobis parata Dei filios statim constituit: numquam tamen pax exoritur, nisi mors deuicta, deletaq. fuerit, atque destructa. Paulo verò post ait: Cum autem subiecta fuerint ei omnia: tunc ipse filius subiectus erit illi, qui subiecit sibi omnia. Ordo rerum est pulcherrimus, vt quæq. suum occupent locum, vt in elementis cernimus. nam densiora inferius, rariora superius suapte natura feruntur: alterũ verò alterius locum tenere absque vi nequit. Sic animum humanum, nisi Deo subiectus sit, inquietum esse necesse est: Est enim ille natura caput, ac si quis voluntate sua non ei se subdit, vi extemplo subijcitur. Cum verò Deo, vt æquum est, libens, volensq. se subijcit, ipsius Dei filius, qui ob assumptæ humanitatis vnionem summa imis coniungit, vna cum hominis ipsius superioribus

Nouissima mors quare dicatur.

Ordo rerũ quis.

Animus humanus Deo subijciendus.

Deo

Deo coniungitur: nec vltra oportet eum, vt hominis saluti & victoria consulat, plus demitti, quàm subuehi. Mirabile prorsus modò quid dicitur: nam sequitur, tunc, & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit illi omnia, ceu si ante non fuisset: sed ipsa eius humanitas, qua sibi fideles electosq. vniuersos vniuit, ita vt vnum corpus effecerit, in nullis à se alienos esse permittit. quapropter eorum existimat omnia, ita vt vel eorum peccata sua eße fateatur. Inde nequaquam vel ipse subiectus dicitur eße Deo: nisi cari eius omnes vna cum eo subijciantur: vnum enim mystici corporis glutinum, vna vt ita dixerim, ceu maßa, vna, vt Apostolus ait, conspersio. Et licet Dei filius, ex 1.Cor. 5.
parte, qua homo est, Deo omnino subiectus sit: quia tamen membra eius, et corpus qui sunt fideles, qui fratres eius, qui amici, ac etiã cohæredes appellantur, nisi confecto bello Deo penitus subiecti esse non possunt. eo autem quod vnum sint, de filio dicitur: tunc ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. quod vbi fa- Phil. 4.
ctum fuerit: tunc ea pax erit, quæ exuperat omnem sensum: qua pacifici, & beati, & Dei filij esse dicuntur. Tunc, vt Esaias ait, erit opus iustitiæ pax, Isa. 32.
& cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in

sem-

sempiternum, & sedebit populus meus in multitudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.

Opus iustitiæ.

Opus iustitia erit pax; nam iustitia antehac fuit congredi cum hostibus, insequi inimicos, eosq. debellare, & opprimere: sed supra dictum est, deuictis, atque subactis, ita vt nullus iam metus supersit, pace vbique iam parta non vltra dimicandum, sed pacis opera consectanda, quæ is exequitur, qui ius Deo suum tribuit, ac debitum pœnæ soluit: quod quidem est eum contemplari, amare toto corde, tota anima, totis denique viribus, & mente complecti, eum admirari, summa ope, die, noctuq. laudare, ei quicquid boni nobis & vbique est, vni adscribere, ei inhærere: omnia quæ illi cordi nouimus esse, promptè alacriterq. patrare, ei viuere, ei sapere, ei mori, ei nosmet, nostraq. omnia consecrare. Hæc opera pacta tranquillæq. dicuntur esse iustitiæ, quæ cum Propheta innuere vellet, ait. Et erit opus iustitia pax: quasi dicat, erit opus iustitiæ pacificum. Nam cum summa Deo pace coniuncti sumus, nihil restat nisi vt vni Deo vacemus, pacem iamdudum agamus, quam per innumera, tristiaq. bella quæsiuimus. Postquam verò eò iam ventum est, vbi appetibi-

Opera pacis.

petibilia, optima, immortalia, vereq. beata sunt vniuersa, nequaquam vltra laborandum, vt acquirantur: verum iam acquisitis, iustè, piè, sanctèq. perfruendum. vbi autem dixit, opus iustitiæ pax, adijcit, & cultus iustitiæ silentium. Qui colit iustitiam, rationem videlicet æternam iustitiæ, ceu pulchritudinis eius amore captus, eam inexplebili studio contemplatur, admiratur, esurit, haurit, nullo vmquam fastidio satiatur, fit ebrius, sensuq. abalienatur. inde securitas, inde tranquillitas, paucissimis nota exoritur. dumq. tanta attonitus obstupet visione, tacita, vt ait quidam, pertentant gaudia pectus. Tam grande verò huius spectaculi miraculum est, vt quia neminem, qui hæc referentem intelligat inuenit, silet, dum tantæ visionis specie fruitur. Eò forsan ille ascenderat, de quo dictum: Sedebit solitarius, & tacebit, eo quod quiete illi iam parta placida pace fruetur. Solitarius autem erit, quod eo hominum nullus ascendere queat: qui enim ascendunt, dij iam sunt, non homines. Tacebit autem eo, quod neminem, qui eum intelligat, inuenturus sit. Hæc autem illi contigisse additũ, quoniã leuauit se super se. eo rursus ille forsan sublatus est, de quo dicitur: audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Cultus iustitiæ.

Thren. 3.

2. Cor. 12.

Ille

Ille igitur verè colit iustitiam, qui tam diuino, tam excedenti cultu iustitiam fouet: vt hominum intelligentiam, omnemq. sapientiam transcendat: Rectè igitur dictum, cultus iustitiæ silentium, cui adijcit, & securitas vsque in sempiternum. quo innuitur; quod hic gratia ita sit confirmatus, vt eo statu deijci omnino nõ possit. Deinde rursus adhibet: & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, &c.

Cultor iustitiæ quis.

Magnum quidem est quod modò dicitur: vt autem facilius teneatur, plura ante monẽda sunt: sed prius quæ sit pulchritudo, quæ dicitur pacis, videndum est. Pace mundi huius pulchra sunt omnia: vrbes videlicet, ager, rura, villæ: stat enim cultus agrorum vbique integer: videas consitos arboribus agros, vitium ordines, vbertatem, amœnitatem: videas prata floribus, herbisq. distincta, hortos olerum varietate, suauitate, copiaq. decoros: armenta læta, boum, pecudumq. omnigenum pinguissimos greges, ridere quodammodo videntur omnia, fluctuant siquidem segetes, pomorum innumera exuberant genera, luxuriant fruges; vndique oculorum oblectant illecebræ. sed quid plura? magna vel huiusmodi pulchritudo pacis allicere animos consueuit: quæ omnia bello è contra

Pulchritudo pacis, quæ sit.

lugere

lugere conspicias. sed si huius pacis tanta est pulchritudo, quanta illa erit, quæ nec bello deleri, nec tempore, nec ægritudine corrumpi aliqua poterit, quod vt nosse aliquatenus valeamus, describenda est.

Aiunt quidam æqualitatem numerosam esse pulchritudinem; quod quidem verũ est quodammodo: nam cum partes alicuius totius quadam, & inter se, & ipsi toti æqualitate, concordiaq. conueniunt, quodam cum ordine, tum modo, ac specie, ipsum totum, atque sese inuicem decorant. Indeq. profluit lepor quidam, &, vt ita dixerim, harmonia longe suauißima, quæ non tanta certe esset partium illarum, si singulæ seiunctim considerarentur, atque apparet in corpore illo, quod ex omnibus illis partibus constat, quorum ordinatissimo conuentu completur, quamuis & illa, etiam singulatim, pulchra sint. lepor igitur ille & venustas, quæ, ni fallor, non sensu, sed intellectu percipitur, est, quam nos pulchritudinem dicimus. ex his autem fit, vt animantes ratione carentes pulchritudinem minimè sentiant. sed de hoc aliàs. Sed quid sit hæc veræ & cælestis pacis pulchritudo, dicam, vtcumque potero. quæstio enim perdifficilis. Populus, vt nihil omittam, Dei est sanctorum,

rum, ac piorum cœtus omnium: qui ideo sedere dicitur, quia proprium est pacis quiescere: in pulchritudine ille pacis sedet, seu quiescit, qui pacificus est, quique Dei filius: vt autem pulchritudo corporis eo, de quo supra diximus, modo se habet: sic & pulchritudo animi, licet animi pulchritudo per se omnino stare non possit: nam si ex solo homine ipsa constaret, pacifici filij Dei omnino dici nequirent. Pulcher igitur dicitur animus, cum naturæ ipsius maiestati, dignitatiq. omnes effectus, virtutesq. plenè conueniunt, atque respondent. Ipsius præcipuè naturæ est, vt talia amet, quærat, magnifaciat, qualis ipse est; nam si secus faciat, si contraria ab his exequatur, non minus certè illum hoc dedecere puto, quam si leo mures venetur, vel quam si aquila muscas capiat, ijsq. saginari contendat. Homo quidem ad intelligenda, atque amanda natus est; est enim animal rationis, diuinitatisq. capax, qua vna ipsius naturam perfici fas est: omnia verò, quæ nec his inseruiunt, nec ad hæc tendunt, eum dedecent. Vnde deformitas illius, & quicquid non pulchrum est, sequitur.

Animi pulchritudo.

Dubitatur.

Virtus igitur, officium, ac sapientia, aliaq. id genus eum sola decent, è quibus tamquam partibus

bus animus decorus efficitur. sed hic haud facilis suboritur quæstio: nam hæc non sunt partes illius, ut membra animalis, sed habitus quidam, & formæ, & accidentia, ceu si mulier, non compositione, & modo, specieq. membrorum, seu etiam colore, verùm stibio, cerussaq. pulchra videatur: sed huc animus iam intendendus, ut quibus pulchritudo animi constet, si qua facultas sit, nosse possimus.

Sunt planè quædam accidentia, quæ ceu formæ substantiales sese habere videntur, ut radius visus, sine quo visus est ceu informis, ac penè mortuus: nam absque eo perinde se habet, ac si non esset: eo autem insuper cum adsit, & pro ea forma agit, id est, videt, eiusq. ipsius radij lumine visibilia comprehendit universa: sic in animo nulla est virtus, nisi virtus illa infusus sit, quæ per se virtus est: qua virtute cum homine à luminum patre defluente formatur, & tamquam virtus effectus, secundum eam virtutem proximè operatur. virtus vera illa Deus; indeq. sine Deo homo ferè nihil dici potest, nihil agere, nihil intelligere penitus valet: immo necesse est, ut aliquid verè esse possit, ut Deus in eo sit omnia: Inde ait: Sine me nihil potestis facere: &, ego sum qui sum: quasi Ioan. 15.

dicat; & nihil aliud; non enim sunt nisi cum eo. Inde rursum ait: Qui non colligit mecum disper- Luc. 11.
git: Inde necesse est, vt ipse caput viri: immo vt distinctius loquar, vir est caput mulieris: viri autem caput Christus: Christi verò Deus. Pul- 1. Cor. 11.
chritudo pacis de qua quærebamus planè iam aperitur, quæ quidem nulla penitus est, nisi fiat horum capitum membrorumq. connexio, quæ tanto inter se decore iungitur, vt incredibilis exinde pulchritudo exiliat: ordine enim suo stant omnia: specie distinguuntur, modo mensurantur, mirabili inuicem conuenientia, decoreq. sibi respondent, ita vt magna inde emicet pulchritudo.

Quia verò inferiora suo, & loco, & ordine contenta sunt; nec aliorum situs occupare nituntur, vt vnius membra corporis consueuere: non enim pedes volunt esse caput, nec manus oculi, sed suo quæq. gradu suoq. officio acquiescunt; fit pax per alta & quies pene tranquilla: Quo igitur inter se conueniunt, pulchritudinem: quo autem suo contenta loco sunt, pacem et quietem imperturbabilem reddunt: indeq. fit vt Dei populus sedere in pacis pulchritudine asseratur, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta. De quibus aliàs. Ex his omnibus pax illa cõstat, quæ Dei

fily

filij pacifici esse dicũtur: huc sapientia, Salomone teste, deducit: Dicit enim de ea, Via eius via pulchra, & omnes semitæ eius pacificæ: Ille autem qui alibi dictus est, pax nostra, in Isaia princeps dicitur pacis. absque eo enim pax vlla vera nobis esse nequit. Cum verò adijcitur multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis; De pace qua pijs ac vita solutis est in cælesti, & æterna require, dici equidem arbitror. Cum verò pacifici Dei filij appellati sunt, ea pace quæ hic incipit, & in cælo perficitur, pacificos dici existimo; qui ideo dicuntur filij Dei, quia in ijs solis qui mala subegerint vniuersa, Deus est omnia. In eis enim vnus Deus, vnus viuit, sapit, viget, excellit, fulget, &, vt ita dixerim, est. Magnum igitur eo pacto esse pacificos, quo etiam Dei filios esse contingat. hanc pacem bonorum omnium finem quidam asserere non verētur. Pax plane omnis alia, nequaquam huic comparata; sed bellum, pugna, ac turbatio potius appellanda est. hac amor verus pace, & maxime flagrat, & amato nullo impedimento perfruitur. hac sapientiæ mater, virtutis fons, perfectionis origo; hac bona perpetuò mens conquiescit. hac Deo similes in modum filij homines constituimur, hac euecti, humana sub pedibus

Matth. 5.
Prou. 3.
Ephes. 2.
Isa. 9.
Pacifici qui dicuntur.
Pacis excellentia.

turbari vniuersa, conspicimus, hac saturitas gaudet, hac sanctimonia omnis perficitur. Hæc virtutis speculum, scientiæ sedes, sancti numinis dignus thronus, pace hac diuina, nihil obstante, complectimur, pace sua mens liberè graditur; via enim est status omni penitus perturbatione solutus, omni desiderato completus, in summum bonorum subuectus; nulla omnino malorum labe pollutus. Inde cor mundum sequi necesse est. Ea enim munditia pacis pennæ sunt, quibus super ventorū alas subuehitur, huic æternitas dux, domus, ac sedes. Nihil hac fortius; vnde subiunxit Dominus:

Mundicia pacis pennæ.

Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ipsorum enim est regnum cælorum. Pacifici enim, si verè pacifici sint, nullis suavmquam tranquillitate deijci possunt. Cuius arx adeo excelsa, adeo munita, vt non solum non expugnari, sed ne cerni quidem facilis. Hæc semper sereno est pectori, semper corde, animaq. tranquilla. Verè igitur beati, verè Dei filij nuncupandi. hanc nullum non pium, aut aspicere, aut contemplari fas est; hanc mundus minimè nouit: cuius tamen vmbram quandam sectari videtur, quæ tam longe est ab huius imagine, vt vel pacem vocari forsitan nefas sit. Huius si quam speciem, vel velamen

tamen aspicere contingit, inania non solum humana omnia; sed vel ipsos homines & iudicat, & amarissimè condolet: videt enim iis eos viis pacem quærere, quibus eam fugari potius necesse est. Videt nullum ferè bonum pacis huius, vel nosse, vel quærere. videt ita obcæcatos, ita perditos ac deprauatos, vt non facile disciplina aliqua mutari posse videantur, adeo quidem irridentur uera docentes: nam & iusti, vt ait Iob, simplicitatem sperni putares. Non ita crebro uera doctrinæ amatores atque studiosi auditores, vt olim conspicies: illorum enim nonnulli Dei occulto iudicio malis permixti vsque adeo sunt, vt non facilè cognosci possint. Alij autem habitu religionis, verbis, cæremonijsq. contenti, ita auaritiæ, ambitioni, & præsumptioni student, vt eos veram religionem aut ignoraſſe, aut contemnere (pace dixerim) existimares. Est quidem laude dignum, quod templa ædesq. sacræ saxorum ac cæmenti materia magnis (vt videmus) sumptibus extruantur, euersa, humiq. iacentia instaurentur: non ita tamen, vt propterea templa viua despectui sint habenda, quippe quæ Catholicis omnibus, potissimum tamen præsulibus ac principibus summæ curæ esse debent. Iob 12.


Scrip-

Scriptores etiam nonnulli, et sunt, et paulo ante nos extitere, qui huiusmodi templorum ruinis consulere tentarunt: sed quia vel parum, aut omnino, vt par erat, audiii non fuerunt, uix aliquid profecerunt. Hac uerò tempestate nostra, poëtæ undiq. pullulare cernuntur, qui licet Christiani sint; Musas tamen inuocare, falsorum deorum nomina honorare, his sua poemata exornare, ex professo lasciuire, quin vt manifestè apparet, portentorum illorum cultus reuocare non pudet. Alij veri numinis appellationes suis immiscere operibus erubescunt: nugis tamen libros ac somnijs complent, facundè diserti; ac etiam si ingenia suppetant, eloquentes videri laborant; nomina verò sua his nugis in sæcula propagare. Immortalis hinc famæ decus, ac gloriam consequi se posse confidunt: qua quidem spe apud eorum similes aliquandiu minimè forsitan fraudabuntur; licet tales eorum laudatores futuri sint, qualium sani quidem homines & iudicium, & laudes vehementer metuerent: sunt tamen nonnulli, quorum scripta existimatione, & lectione digna esse videntur; sed hac aut pauci, aut certè nulli vel legunt, vel momenti alicuius existimanda fore aut putant, aut asserunt, atque ita totus

pane

pene iam terrarum orbis non solum veræ sapientiæ, sed & veræ pacis ignarus, ceu mare uentorum rabie agitatum fluctuat, æstuat, uarieq. misceatur. Quod ipsi cernentes, uiam, de qua supra loquuti sumus, ingreßi, tamdiu laboremus, quoad pacis pulchritudinem, tabernacula fiduciæ, opulentamq. requiem teneamus: de quibus supra quædam dicta sunt. Pace autem, quæ aut finis est, aut in fine, finiendus etiam sermo uidetur.

Finis Quarti & vltimi Libri.



Registrum

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,
A a B b.

Omnes sunt folia, præter B b, quæ est
folium cum dimidio.



ROMÆ,
Apud Gulielmum Facciottum M. D. X C I X.
SVPERIORVM PERMISSV.

INDEX RERUM ET VERBORUM Memorabilium

D

Super-

Erro-

Errores sic corrige.

Pag. 3. lin. fruntur lege, fruuntur.
pag. 3. lin. bus. & plane vitilia, lege, vtilia,
pag. 7. lin. dos. se daturum, lege daturam.
pag. 23. lin. prima. cera illata, lege illita.
pag. 25. lin. prouecta est. igni aeccendi, lege accendi.
pag. 29. lin. enim ex ijs. sectandiq. lege sectandisq.
pag. 35. lin. quae. creaturę, lege creaturae.
pag. 41. lin. vlt. per apretos; lege per artus.
pag. 86. lin. penult. fœnere, lege fœnore.
pag. 88. lin. appellat. deniq. de omissa. lege, deniq. omissa, de
pag. 116. lin. penult. aqua, lege aeque
pag. 121. lin. Haec. illac, lege illa.
pag. 122. lin. clesiasticos. tyramnidem, lege tyrannidem.
pag. 123. lin. secunda. militas. per quam quis sapiens & dicatur efficitur, lege sapiens dicatur & efficitur.

